

AB  
42 13/12  
2/4

IOSE CVPIS FACIEM IVYNERI  
SUNT CERNE TAPPELLAN JIVE  
M CIP ROS CONSVIE CERTS





(Alte Nr. 510)

Polychytricus, D.

00  
Ka

P. IV. 39.



ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ  
IN LECTIONEM  
TEXTVS EVAN-  
GELISTARVM QVO-  
RVM SERIEM VERSA  
*pagella indicabit.*

DAVID CHYTRÆVS

PREMENTE CRV-



CE TOLLIMVR.

ROSTOCHII  
IACOBVS TRANSYLVANVS  
Excudebat ANNO 1564



# CAPITA PROLEGOMENON.

## MEMORANDUM.

- I. Testimonia uerbi diuini, quibus ad **LECTIO-  
NEM TEXTVS** Bibliorum assiduam & in-  
tentam singuli exuscitari debent.
- II. De **METHODO** Doctrinae Christianae &  
librorum sacrae scripturae praecipuorum.
- III. De ratione interpretandi libros Doctrinae  
coelestis utilissima.
- IIII. Catalogus librorum scripturae Canonicae.
- V. Discrimen inter libros sacros & Ethnicos: seu  
inter Doctrinam Christianam & Philosophiam.
- VI. Confirmatio, Quod sola haec Doctrina et Re-  
ligio, quae in ueteri & Nouo Testamento tradita  
est, sit uera, certa, et diuina.
- VII. Regulae breues, de optima ratione studendi  
in Theologia.
- VIII. De Titulo **NOVI TESTAMENTI**.
- IX. Vocabulum **EVANGELII** per quaestiones  
Methodi ordine explicatum.
- X. De scriptoribus Euangeliorum, Matthaeo,  
Marco, Luca & Iohanne.
- XI. **SERIES HISTORIAE EVANGELICAE**,  
ex Quatuor Euangelistis coagmentatae, et in  
Tabulam redactae.

STVDI.



# STVDIOSIS THEOLOGIÆ

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

DAVID CHYTRÆVS S. D.



*Rima et summa omnium nostrum, qui Homines à Deo conditi, & per Filium ipsius Dominum nostrum Iesum Christum redempti sumus, sollicitudo & cura esse debet, ut Deum conditorem & Filium ipsius Dominum nostrum Iesum Christum, redemptorem nostrum, recte agnoscamus & celebremus, & uerum de Deo testimonium in genere humano dicamus. Semper igitur in conspectu nobis uersetur Pauli sententia, utilissimam studijs, pietati et moribus nostris admonitionem continens, ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικεῖτω ἐν ὑμῖν πλουσιως ἐν πασῇ σοφίᾳ διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς. Verbum Christi habitet in uobis opulente, cum omni sapientia, docentes & admonentes nos inuicem. Deus enim immensa bonitate se generi humano patefecit, non tantum in pulcherimo hoc cœli & terræ theatro, & ipsis hominum mentibus, illustria suæ sapientiæ bonitatis & omnipotentiae diuinæ testimonia spargens: uerum etiam Doctrinam certam, de uera agnitione sui & Redemptoris nostri Iesu Christi, & de æterna salute nostra, certis libris mandari per Prophetas et*



## ADHORTATIO AD LECTIONEM

Apostolos uoluit, & seuerissime præcepit, ut hæc ipsa scripta attente & assidue Homines legant, audiant, discant, meditentur: & æternam salutem omnibus fide ea amplectentibus certo pollicetur.

HABITET itaq; in nobis quoq; hæc doctrina Christi, nec sit ignotus aut rarus hospes, sed familiaris & notus conuictor, cum quo omnes nostras cogitationes, consilia & curas communicemus. Nam ubicunq; habitat hæc doctrina Christi .h. ubi pie cogitatur & fide accipitur, ibi uere Deus ipse habitat, & simul hoc suum domicilium defendit & corda regit, ac uiuificat, & ueram agnitionem sui, ueram iustitiam & uitam æternam impertit. Hæc grauissima utilitas, Nos præcipue, qui in scholis, toti doctrinæ studijs dediti sumus, excitet, ut libros ueteris et Noui Testamenti, in quibus doctrinam de sua Essentia & uoluntate in Lege & Euangelio Christi patefacta, Hominibus tradidit Deus: assidue & attente legamus & meditemur.

Vt igitur ad hanc Lectionem & meditationem Doctrinæ Christi seu uerbi diuini (per quod solum, & non aliter, Deus agnosci uult, & suam sapientiam iustitiam & salutem æternam nobis cōmunicare) studiosos meo etiam loco inuitem & adiuuem: iuuante Deo, TEXTVM EVANGELISTARVM rursus prælegere incipiam Cras Hora Nona, ac singulis septimanis huic lectioni tribuam Diem Lunæ Martis & Mercurij.

Initio



## TEXTVS BIBLIORVM

Initio autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, fontem omnis sapientiae & doctrinae salutaris, qui primus ex arcano sinu Patris Doctrinam Euangelij protulit, eamq; literis Ebraeis & graecis, per Prophetas & Apostolos mandauit, toto pectore precor, ut ipse nos Spiritu Sancto suo doceat, & mentes ac linguas nostras gubernet, & adiuuet hos nostros docendi et discendi labores, ut Deo grati, & Ecclesiae Christi ac nobis & alijs salutare sint, iuxta dulcissimam promissionem, Non labor in Domino uester inanis erit.

Deinde Studiosos hortor, ut Causas, quibus ad lectionem TEXTVS librorum Veteris & Noui Testamenti diligentem & assiduam, singuli excitari debent, uidelicet Mandata Dei seuerissima, et utilitates amplissimas, in hoc lectionis exordio attente considerent: & in conspectu habeant TESTIMONIA & dicta Scripturae praecipua, quae confirmant, Dei uoluntatem & mandatum esse, ut libros Prophetarum & Apostolorum assidue et attente legamus, meditemur, & alijs cognoscendos proponamus, & interpretemur: Et per hanc lectionem & cogitationem librorum scripturae diuinae, DEVM uere efficacem esse, & ueram sui agnitionem ac fidem in mentibus nostris accendere, & peccatum ac mortem tollere, & iustitiam ac uitam aeternam in nobis instaurare.

Nota est enim uox aeterni Patris de caelo sonans





## ADHORTATIO AD LECTIONEM

ad totum genus humanum, iubens **AVDIRE FILIUM** de uera Dei agnitione et inuocatione & reconciliatione hominum cum Deo & aeterna hominum salute propter Filium Mediatorem donanda concionantem. Singulare autem & summum bonitatis diuinae specimen est, quod Deus ipse nobiscum in uerbo suo loquitur, & Filium arcani consilij sui interpretem & Doctorem ac redemptorem generi humano misit, & certam de se doctrinam tradidit, cuius cognitione & fide, suam sapientiam, iustitiam, consolationem, uitam & omnia bona nobis impertit. Tetra igitur & horribilis ingratitude et contumacia atrocissimis poenis digna est, Deum ipsum nos uerbo suo alloquentem, et hunc Doctorem ab ipso missum audire nolle, uel non attente & ardentem audire, imò negligere & aspernari, cum scriptum sit: Qui non audierit, ego ultor ero.

Et Paulus, non tantum Timotheo, quem ardente studio legendi & amore cognoscendae & propagandae coelestis doctrinae sciebat, sed omnibus pijs & toti posteritati praecipit, **ATTENDE LECTIONI & DOCTRINAE**. Legere iubet Libros sacros, in quibus non Philosophia aut praecipua de moribus tantum et uirtutum omnium officijs, sed longe aliud sublimius doctrinae genus, de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, de reconciliatione hominum cum Deo, & aeterna salute reuelatum est. Hos libros non obiter tan-



TEXTVS BIBLIORVM

ter tantum, & raro, ac frigide, et oscitanter perlustrari, sed singulari animi intentione & assidue legi, et crebro relegi, et diligenter considerari et expendi iubet. Nec legisse semel satis est, iuuat usq; morari, Et conferre gradum, et dicendi querere causas. Non enim subito res tantæ disci, et corpus Doctrinæ integrum, ex præcipuis & illustribus uerbi diuini testimonijs extructum, animo comprehendere, nec retineri potest, nisi assidua & attenta lectione et meditatione et usu ac exercicio doctrinam alas et confirmes.

2. *Timoth: 3.* ~~A pucro sacras literas noueris~~ quæ te possunt erudire ad salutem per fidem in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus fiat Dei homo, ad omne bonum opus paratus.

~~Primam statim ætatem inde ἀπὸ βρεφῶν~~ ad diligentem & assiduam sacrarum literarum lectionem & meditationem asuefaciendam esse monet: sicut inde usq; à principio in Ecclesia hoc præceptum de doctrina cœlesti pueris etiam cum lacte nutriticis instillanda repetitum est. Ita enim inquit Moses, *Deut: 6.* ~~Erunt uerba hæc, quæ ego præcipio~~ tibi hodie, in corde tuo, & narrabis seu *ACVES* ca filijs tuis (.h. non negligenter aut tæta squalore trades, sed limata et illustrata propones et sæpe re-  

A 4 petes



## ADHORTATIO AD LECTIONEM

petes ac inculcabis uerba Dei filijs tuis ) & medita-  
beris sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dor-  
miens et surgens, et ligabis ea quasi signum in manu  
tua, ut sint in conspectu, et inscribe ea limini et ostijs  
domus tue.

Sine dubio autem maior nostra in lectione scrip-  
turae assiduitas et intentio esset, si serio crederemus  
πᾶσαν γραφήν θεοπνευστον εἶναι, et DEVM  
ipsum in scriptura nobiscum loqui. Ita uerè expe-  
riremur, sacram scripturam, salutis aeternae officinā  
esse, et eas utilitates nobis adferre, quas nulli alij li-  
1 bri adferre possunt. Primum enim docet de maxi-  
mis rebus, de quibus nulla Philosophorum aut alio-  
rum sapientum scripta certi aliquid & solidi docere  
possunt, ut de Deo Patre, & Filio Dei Iesu Chri-  
sto, et Spiritu sancto, de causa peccati, de remissione  
peccatorum propter Filium Dei pro nobis crucifix-  
um, de abolitione peccati et mortis, et uita ac gloria  
2 aeterna. Deinde arguit omnis generis peccata, erro-  
res et haereses, quas nulli alij libri refutare et cōvince-  
3 re possunt. Tertio corrigit et erigit lapsos in errores  
uel alia peccata, ut conuersi ad Deum fide remissionē  
peccatorum et aeternam salutem consequantur.  
4 Postremo crudat nos in iustitia, ut, et Deo, et Eccle-  
siae, ac alijs hominibus usui simus, et seruiamus in iu-  
stitia & sanctitate coram ipso omnibus diebus uita  
nostrae.



## TEXTVS BIBLIORVM

nostra. Talem Dei cultorem perfectum et Deo placentem nulli alij libri efficere possunt.

Roma: 15. Quaecunq; praescripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Hic etiam Nobis praescriptos esse libros sacros Paulus testatur. Nos igitur eos assidue diligenter & attente legamus, & ad nos singulos pertinere doctrinam, mandata, promissiones & consolationes in ijs traditas, statuamus, & nobis eas applicemus. Exuscitent etiam singulos ad attentionem & assiduitatem legendi, QVATVOR sacrae scripturae utilitates amplissime, quas in proxima oratione, de Studio Theologiae cum omnibus caeterarum artium studijs coniungendo, aliquantum euolui.

Ioh: 5. Christus inquit. Scrutamini Scripturas, in quibus uitam aeternam uos habere creditis. Illae sunt, quae de me (Christo) testificantur.

Scrutamini inquit scripturas, non reformate, non uestra somnia inferte, nec tantum legite, sed reuerenter et attente eas expendite, et peruestigate, et immoremur cogitando, et Christum fontem uitae et salutis aeternae in ijs quaerite. Ita uitam aeternam inuenietis.

Ioh: 8. Amen amen dico uobis, Si quis uerbum meum seruauerit, Mortem non uidebit in aeternum.

A S

Sancte



## ADHORTATIO AD LECTIONEM

Sancte iurat Filius Dei, ut nostro stupori et incredulitati medeatur & ardens studium uerbi ab ipso traditi exuscitet. Omnes enim, qui uerbum Christi (non scripta Platonis aut Ciceronis, non uerbum Legis occidens, quam nemo seruat, sed Euangelion Christi) seruauerit .h. legerit, didicerit, & firma fide amplectetur ac retinebit: is uicta morte eternam uitam certo assequetur. Tam preciosum & salutare pharmacum est uerbum Christi, ut ex corporibus & animabus credentium Mortem expurget, quæ alioquin totum mundum deuorat. Ach Gott/wer das glauben funde/ inquit Lutherus, wie hertzlich lieb wurde ihm die heilige Schrift sein. Das mag ia heissen ein guter Apoteker / der solche Arznei geben kan / das der Todt nit allein vberwunden sein soll / sonder auch nicht vnd nimmermehr soll gesehen werden. Man sehe an/ wie tewe vnd lieb man hat die Kunst/ so ein Sieberlin oder Pestilentz heilen than/ wie laufft rennet/ gibt/ thut/ leidet/ jederman hie zu. Aber den schatz vnd das Kleinot/ so den Todt mit allen Franckheiten/ jamer vnd nort wegnimpt/den achtet niemand/oder leider gar wenig. Vnd ist doch die hohe ewige warheit/ Gott selbs gelobt in ewigkeit. O Herr stercke vns den glauben/ so ist es gewonnen vnd woll gehalten.

Hæc septem Testimonia, quæ partim mandata de lectione & studio sacre Scripturæ, partim utilitates illius amplissimas complectuntur, omnes non  
planè



TEXTVS BIBLIORVM.

planè Epicuræos exuscitant & impellunt ut singulari cura & attentione ac assiduitate libros Doctrinæ cœlestis legant & meditentur.

Addam autem reliqua etiam scripturæ Testimonia, quæ lectionem & studium uerbi diuini nobis commendant. Pertinet enim huc totus Psalmus 119, Beati immaculati, &c. qui totus studij Theologiæ seu uerbi diuinitus traditi commendatione consumitur. Ac ut ad eum legendum, pueri instructiores sint, sciant hæc octo uocabula, quæ in singulis ferè octonarijs repetuntur, Verbum Dei, Sermones Dei, Legem Dei, Testimonia Dei, Mandata Dei, Iustifications Dei, Iudicia Dei, Eloquia Dei, etc. planè Synonyma esse, & nihil aliud significare, quàm Doctrinam à Deo traditam, complectentem Legem & Euangelion de Christo, quæ in libris sacris comprehensa est.

Psal. 1. Beatus uir, qui Lege (seu uerbo) Dei delectatur, & Legem eius meditatur die ac nocte.

Psal. 19. Verbum Domini immaculatum conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ letificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

2. Pct: 1. Recte facitis attendentes Prophetico sermoni tanquam lychno lucenti in loco caliginoso, etc.

HUC



## ADHORTATIO AD LECTIONEM

Huc adhortationes omnes ad studium sapientiae seu ad discendam & amandam Doctrinam à Deo traditam pertinent, quæ Prouerb. 1. 2. 3. 4. 8. 9. Syracidæ. 24. 1. 4. 6. 15. & alibi sæpissime repetuntur.

Ioh. 10. Oves meæ **VOCEM MEAM AUDIUNT**, & ego cognosco eas, & sequuntur me, et ego uitam æternam do eis.

Ioh. 14. Si quis diligit me, Verbum meum seruabit (.i. doctrinam meam audiet, discet, fide amplectetur, & custodiet) et pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus .i. æternus Pater, Filius & Spiritus sanctus habitabunt in eo tanquam domicilio & templo suo.

Ioh. 15. Si manseritis in me & uerba mea in uobis manserint, quidquid uolueritis petetis, et fiet uobis. Hörestu mich (addit Lutherus) so höre Ich dich/ Hörestu aber mich nicht/ So höre ich dich widerumb nicht/ Eins vmb s ander/wie du wilt.

Ioh. 17. Pater sanctifica eos in ueritate tua, Sermo tuus est ueritas.

Roma. 1. Non pudet me Euangelij Christi, Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti.

Acto. 11. Loquetur tibi uerba, per quæ salua beris tu & domus tua.

Hæc & similia Testimonia perspicue ostendunt  
Dei



## TEXTVS BIBLIORVM.

Dei uoluntatem & mandatum esse, ut **TEXTum** Bibliorum diligenter & attente legamus: Et per hanc lectionem & meditationem doctrinae à Deo traditae, Deum uere efficacem esse, & ueram sui agnitionem & fidem in mentibus accendere, et iusticiam, uitam & salutem aeternam credentibus impertire. Quare his seuerissimis mandatis & dulcissimis promissionibus Dei exuscitemur, ut libros Euangelistarum & Apostolorum omni studio, assiduitate & intentione legamus, audiamus, meditemur, fide amplectamur & interpretemur. Ego iuuante Deo, totam interpretationem, ad Auditorum utilitatem & captum accommodabo: memor ueteris praeccepti, quod tubet  $\chi\rho\iota\sigma\mu\alpha\ \pi\alpha\iota\sigma\iota$  in Scholis doceri: & omiſſis prolixioribus commentarijs, initio statum & dispositionem ac seriem membrorum in singulis libris ostendam. Deinde locos Doctrinae praecipuos in singulis capitibus breuissime annotabo. Tertio, Genus sermonis diuini, uerba, phrascs & figuras, quantum potero, ex fontibus linguarum, & collatione Textuum, breuiter & grammaticce explicabo. Cum autem à Deo ipso disci oporteat, quid de Deo sentiendum & loquendum sit, principio huius interpretationis Filium Dei  $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$  fontem omnis sapientiae & doctrinae salutaris oro, ut ipse nos doceat, et mentes ac linguas nostras Spiritu sancto suo gubernet. Amen.

DE ME



# DE METHODO SEU ORDINE PAR- TIVM DOCTRINÆ

Christiane.



**M**ETHODVS est certa  
uia & ratio apte disponendi et ordi-  
ne explicandi singulas integræ alicu-  
ius doctrinæ uel disputationis partes:  
progrediens à certo initio, per inter-  
media, donec ad finem & metam artis perueniat, et  
omnia præcepta suo quælibet loco collocata sic inter  
se connectat, ut unum ueluti corpus artis integrum,  
constans omnibus membris rectè et eleganter inter se  
coagmentatis, absoluat.

Hæc forma constituendi et explicandi integras  
Artes, Methodus generalis usitate uocatur, cuius  
species seu organum est Methodus specialis, quæ  
adhibitis instrumentis, definitione, diuisione, causis,  
effectibus, etc. singulas materias seu partes integræ  
artis explicat et euoluit.

Prodest autem in omni studiorum genere dis-  
centes initio summam totius doctrinæ, quam sibi dis-  
cendam proponunt, erudita Methodo distributam  
in certas partes seu locos, animo comprehendere, et  
ὑπόμιναν συνοψιν ἀγειν καὶ σώματα ποιεῖν

h. mo



## METHODVS THEOLOGICÆ.

*h. uno intuitu complecti, et quasi corpus integrum, eius doctrine, in qua uersantur, informare. Ita enim facilius et rectius, et maiori etiam cum uoluptate et fructu in studijs progrediuntur et proficiunt discen- tes, cum uniuersæ alicuius doctrine initia, et quasi regiones, quàm late pateat, et metas certas prospiciunt: Et parte aliqua operis uel artis absoluta, sciunt ubi sint, et quam multa usq; ad finem restent, et quomodo ipsæ partes doctrinarum inter se coagmentatæ sint, et cohæreant.*

*Hanc necessariam et rectissimam discendi ac docendi Viam in singulis Artibus ORDO partium seu METHODVS ostendit. Est enim ORDO in genere, apta series et distributio rerum, suo quarumlibet loco dispositarum, accommodata certo consilio ad normam certam, et destinata ad usus seu fines certos.*

*Sunt autem in cæteris Artibus, quas Philosophia continet, et humani ingenij acies per sese iudicat, TRES precipuæ METHODI seu uia constituendarum & tradendarum artium: quas Galenus in principio Artis Medicæ discernit.*

*SYNTHESIS, quæ à priore seu tenuissimis rerum inicijs exorsa, paulatim simplicia inter se componendo progreditur, donec ad finem certum perueniat, et totum artis corpus absoluat. ut Grammatica orditur à literis. Ex his syllabas, ex syllabis, dictio- nes:*



## METHODVS

nes: ex dictionibus orationem congrue et perspicue animi sensa explicantem, qui finis est Grammaticæ, componit: et singularum partium proprietates et accidentia indicat. Sic Physice à primis rerum naturalium principijs, ad elementa, eorumq; qualitates et effectiones progreditur. Ex his componit Mixta, et singulorum Mixtorum gradus, Meteora, Metalla, Plantas, Animantia, et horum partes, et genera diuersa, ordine explicat. Eodem ordine Geometria, Arithmetica, & Ars Medica usitate traduntur.

ANALYSIS à posteriore, uidelicet à fine seu toto nobis cognito regreditur, tantisper diuidendo seu resoluendo, donec omnia ad illum finem necessaria colligantur, ordineq; certo collocentur. Hæc Via in omnibus deliberationibus, & in constituendis artibus, et Enarrationibus Autorum in Scholis usitata est.

ΔΙΟΡΙΣΜΟΣ seu DEFINITIVA Methodus, primum definitione summam seu capita doctrinæ præcipua, una uelut συνοψει comprehendit. Deinde singula definitionis membra euoluit ac subdiuidit & explicat, donec omnes eius artis materiæ perspicue declarentur.

Sic partitiones Oratorias & doctrinam de Officijs, Cicero: Artem Medicam, Galenus εν Τεχνικῆ ἰατρικῇ



## THEOLOGIAE.

ἰατρικῆν: & initia Iuris prudentiæ Imp. in Institutionibus, tradunt.

Hæ Methodi doctrinarum, in Philosophia, partim ex Principijs natura notis, partim ab experientia uel sensu perceptis progrediuntur: Et ex his per intellectum consequentiæ in Syllogismo, seu per demonstrationes, paulatim plura præcepta extruunt & coagmentant, donec integrum Artis corpus absoluant.

Sed THEOLOGIA, seu doctrina Christiana, non ex principijs natura notis, & per demonstrationem rectè ad experientiam accommodatis extruitur, sed ex solo uerbo Dei per Prophetas & Apostolos reuelato, sumenda est.

Etsi igitur ad Syntheticam & Analyticam & ὀριστικῆν Methodum utcumq; accommodari corpus doctrinæ Theologicæ, diuersa ratione potest, tamen non exacte in Theologia hæ demonstratiuæ Methodi requirendæ sunt: sed satis est eruditam & aptam Seriem præcipuorum locorum doctrinæ Christianæ proponi discipulis: Qui eruditis definitionibus ac diuisionibus, & indicatis causis, effectibus, & Testimonijs convenientibus,

B                      bus,



## METHODVS

*bus, & refutatis erroribus, cum vera sententia pugnantibus, explicentur.*

Hæc uia tradendi, ad definitiuæ Methodi formam non inepte congruit, præsertim si hæc aut similis definitio præponatur: THEOLOGIA est doctrina de DEI essentia & uoluntate, in Lege et Euangelio reuelata. seu, THEOLOGIA est doctrina de DEO, patefacta in uerbo per Prophetas & Apostolos tradito, docens nos de essentia Dei, & Tribus personis, de Creatione omnium rerum, de Lege Dei, de Peccato, de Remissione peccatorum propter filium Dei d. n. I. Christum donanda, de Fide, de Bonis operibus, de Sacramentis, de Pœnitentia, de Ecclesia, de Resurrectione corporum & VITA cum Deo æterna.

*Loci  
Doctrinæ  
Christi.*

Sunt enim LOCI DOCTRINÆ CHRISTIANÆ præcipui DECEM, ad quos omnes Sacre scripturæ partes, omnes conciones, lectiones, disputationes, & scripta Theologica apte & dextre possunt & debent referri.

I. DE DEO & Tribus Personis Diuinitatis, æterno Patre, & Filio ipsius, domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto.

II. DE CREATIONE omnium rerum, & imprimis Angelorum, ac Hominum.

III. DE LAPSV primorum Hominum, et pec-



## THEOLOGIÆ.

¶ PECCATO *inde in omnes homines propagato.*

IIII. DE LEGE DEI.

V. DE EVANGELIO, seu promissione GRATIÆ, IVSTITIÆ & salutis æternæ, gratis propter filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, omnibus FIDE eam amplectentibus donandæ.

VI. DE BONIS OPERIBVS, quæ Fidem iustificantem necessario sequuntur.

VII. DE POENITENTIA: Qui Locus, est repetitio & applicatio trium superiorum Locorum, de Peccato, de gratuita Remissione peccatorum, et de Bonis operibus seu Noua obedientia.

VIII. DE SACRAMENTIS BAPTISMO & COENA DOMINI.

IX. DE ECCLESIA, quam Christus ministerio uerbi, seu Legis & Euangelij, et Sacramentorum, in his terris colligit et regit.

X. DE IMMORTALITATE Hominum, de Resurrectione Corporum, De extremo Iudicio & VITA ac gloria Ecclesiæ æterna.

Hi DECEM LOCI ordine expositi, et eruditè definitionibus ac diuisionibus illustrati, et Testimonijs scripturæ confirmati, qualemcumq; Methodum et Summam ac corpus doctrinæ Christianæ integrum constituunt. Ad quos etiam in Locis Theologicis omnes Quinquaginta sex Tituli non incommode referri possunt.



## METHODVS

Nec tamen opus est nimis superstitiose denarium numerum retinere, Sed satis sit *παχυμερές ερον* Locos præcipuos doctrinae Christianae disponi, ut Summa doctrinae, & quasi regiones, ad quas in scriptis Prophetiis et Apostolicis omnia referenda sunt, assidue in conspectu uersentur.

Ac in EPISTOLIS Pauli, ad Romanos, Ephesios, Colossenses, Galatas & similibus scriptis, ferè hoc ipso ordine, loci doctrinae Christianae præcipui, de Deo patre, & Domini nostri Iesu Christi persona et beneficijs, De Peccato, de Lege Dei, de gratia Dei et Iustitia Fidei in Euangelio reuelata, de Noua obedientia, de cruce & consolationibus, de Ecclesia, etc. explicantur.

Sed reliqui pleriq; SACRÆ SCRIPTURÆ LIBRI, uide. cet Mosis, Iosue, Regum, aliquot Prophetarum, & in primis QUATVOR EVANGELIARVM monumenta, Historicae narrationes sunt & planè historico ordine scripta sunt. Non enim nudi proponuntur in Biblijs doctrinae Christianae loci, ut in cæteris artibus fieri solet, sed illustrati insignibus exemplis in tota historia Ecclesiae.

MOSES à prima Mundi creatione et conditione Ecclesiae exorsus, perpetuam seriem annorum 2493 contexit. ac in primis Quatuor Geneseos capitibus, fontem & summam omnium fere totius Doctrinae Christianae articulorum, illustratam primorum parentum



## SACRÆ SCRIPTVÆ.

rentum historia, complectitur: in quam reliqua tota Biblia, uelut commentarius quidam esse, existimanda sunt. Præcipue autē eminet, in Genesi, Promissio Euangelij de Christo semine benedicto, Adæ & Abrahæ tradita: In Exodo, Lex Dei seu promulgatio Decalogi facta in monte Sina anno mundi 2453: In Leuitico, Descriptiones Sacrificiorum, quæ omnes sunt conciones de sacrificio Christi uictimæ tollentis peccatum Mundi: In Numeris, Typus Serpentis ænei in deserto exaltati: In Deuteronomio, luculenta explicatio Decalogi.

Post Mosen continua series temporum et Historiarum, in libro Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, deinde, in Esdra, et Daniele, usq; ad Cyri Monarchiam continetur, & passim inspersæ sunt narrationibus, conciones & exempla poenarum Legis & promissionis de Christo liberatore.

In PROPHEtis etiam uniuersaliter hæc Methodus seruatur, ut primum Pœnitentiam prædicent & peccata hominum uoce Legis seuerissime accusent, & poenas horrendas minentur. Deinde Consolationem & Promissiones de liberatione ex presentibus et æternis malis propter Dominum promissum annuncient. Tertio Præcepta de bonis operibus & ueris cultibus Dei adiungant. Et hos tres locos passim & uarie inter se Prophetæ miscent.

EVANGELISTARVM libri, & in primis



METHODVS MATTHÆI.

*Euangelion Secundum Matthæum, planè historica Methodo scripta sunt, & Historiam uitæ & Doctrinæ Iesu Christi continent, congruentem ad locos Personarum, qui in Genere Demonstratiuo recensentur.*

*Ordine enim describuntur in Euangelio Matthæi.*

- I. Natales seu Parentes seu Genealogia Christi.*
- II. Conceptio & natiuitas Christi ex Virgine.*
- III. Pueritiæ historia & fuga in Ægyptum.*
- IIII. Genus uitæ, ad quod ab æterno Patre ordinatur in Baptismo.*

*V. et principaliter: Res gestæ Christi, uidelicet Doctrina seu conciones Legis & Euangelij, et Miracula testimonia certitudinis Doctrinæ.*

*VI. Exempla uirtutum, Fidei, inuocationis, patientiæ, Temperantiæ, singulis pro sua uirili imitanda.*

*VII. Exitus uitæ, seu Passio & Mors Christi quæ est ἀντὶ ἡμῶν pro nostris peccatis.*

*VIII. Ea, quæ Mortem consecuta sunt, uidelicet Resurrectio & Ascensio in cælum.*

*Hæc autem omnia scripta sunt, ut credamus, quod Iesus sit Christus ille, Filius Dei, ac ut credentes, uitam habeamus, per nomen illius. Hic finis & scopus Historiæ Euangelicæ indicatur ab ipso Euangelista Iohanne cap. 20,*

De Ra-



# DE RATIONE INTERPRETANDI LIBROS SACROS.

**E**tsi in hac caligine, Doctrina de Deo, in libris sacris tradita, nec à nobis intelligi potest, nec alijs enarrari, nisi ipso Deo lumen ueræ intelligentiæ in mentibus accendente, ut scriptum est, Spiritus sanctus docebit uos omnia. Item, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: tamen cum hoc uno modo, & non aliter, uidelicet per libros sacros seu uerbum à nobis auditum, lectum et cogitatum efficax sit Deus, & mentes doceat: uult etiam in Ecclesia ministerium docendi seu legendi & interpretandi libros sacros conseruari.

Sunt autem Quatuor præcipua boni Interpretis officia.

Primum, Ostendere auditoribus Statum principalem, seu summam & scopum, et Dispositionem ac ordinem partium illius libri, quem enarrandum suscipimus. Id commode fit indicato Genere causæ, ad quod liber pertinet. ut Euangelion secundum Mattheum est historia uitæ & Doctrinæ Iesu Christi, congruens ad locos personarum in genere Demonstratiuo.



## INTERPRETATIO

11 Secundo, Referre enarrationem singularum partium ad Locos communes seu articulos fidei, qui summam Doctrinae Christianae continent, & ad ueram pietatem alendam utiles & necessarij sunt. & hos locos, adhibitis definitionibus, deuisionibus, causis, utilitatibus, & Testimonijs scripturae conuenientibus, illustrare. Tales loci sunt, de uera Dei agnitione et inuocatione, de Discrimine Legis & Euangelij, de Peccato, de gratia & beneficijs Christi, de Fide, de discrimine iustitiae Philosophicae & alterius Iustitiae, quae aut propter Christum nobis imputatur, aut in nobis restituitur, de poenitentia, de inchoata obedientia, et omnibus bonis operibus, De Ecclesiae & Imperiorum Mundi differentia, de praesentibus & aeternis poenis, et praemijs aeternis. Ad hos locos si referentur scripta diuina: & utiliter erudientur discipuli de omnibus rebus necessarijs, et ipsa interpretatio intra certas metas cohercebitur, ne extra Ecclesiae doctrinam euagetur.

111 Tertio, Grammaticae explicare natiuam sermonis sententiam, significationes uocabulorum, phrasas linguarum & scripturae proprias, uerborum figuras, et ex collatione textuum & proprietate linguarum & praecipis artium dicendi, unam, simplicem & ueram scripturae sententiam in singulis locis eruere et illustrare. Vna est enim simplex, certa & principalis sententia scripturae, quam uidelicet consue-



## SCRIPTURÆ.

consuetudo sermonis & rerum seu argumenti series offert. Ad quam eruendam, fontes linguarum, cognitio phrasium, figurarum, et communia artium præcepta de ratione dicendi adhibenda sunt. Nam Ecclesia tantum est Grammatica sermonis diuini. h. non gignit nouum doctrinæ genus, pugnans cum Doctrina ante à Deo tradita, sed tantum grammaticè interpretatur sermonem diuinum, explicat significationes uocum, phrasium linguarum & scripturæ proprias, uerborum figuras, proponit ueram et certam sententiam scripturæ de singulis Doctrinæ articulis, quæ clare & perspicue ex sermone Prophetarum et Apostolorum ostendi potest, esse propria & genuina sententia collatis integris et non mutilatis scriptis, Querit etiam Ecclesiæ purioris Testimonia, ut constet de catholico consensu Ecclesiæ Christi. Detestandi sunt igitur interpretes inepti, qui quatuor scripturæ sensus finxerunt, Literalem seu Historicum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. & sine discrimine omnia scripturæ dicta, quadrifariam enarrarunt: Atq; ita & Scripturæ authoritatem prorsus eleuarunt, et gentibus occasionem calumniandi præbuerunt.

Firmissime autem teneant studiosi, Leges morales, promissiones Euangelij, articulos Fidei, conciones Prophetarum, in quibus litera ipsa de Christo proprie loquitur, disputationes de dogmatibus, ut

B S

sunt



## INTERPRETATIO

*Sunt Paulinae, simpliciter intelligendas esse, ut uerba sonant et nequaquam in alios sensus transformari debere. Allegorias autem tantum in ijs locis instituendas esse, ubi facta recitantur propter hanc ipsam causam proposita, ut aliud significant. Et prudenter typi ad locos communes Euangelij proprios referendi sunt, ut Mactatio agni, et pleraque Legis sacrificia, Christi sacrificium significabant. Tutissimum etiam est, eas allegorias sequi, quae in Apostolorum scriptis traditae sunt, & certa testimonia scripturae habent.*

*Cum autem multis, prima specie, aliqua scripturae dicta inter se dissidere uideantur: officium Interpretis est, dextre, concinne et apte ea conciliare & explicare. Vniuersaliter enim, cum dicta in speciem secum pugnantia occurrunt, facienda est collatio Textuum, & retinenda est ea sententia, quae cum uniuersa scriptura congruit. Deinde considerandum est, an sit uerborum uel rerum dissensio. Multae enim sententiae, propter phrasim inscitiam pugnare uidentur, quae in fontibus nihil discrepant. Item, An respectu eiusdem subiecti, & obiecti, & de iisdem circumstantijs, temporum, personarum, locorum dicantur, &c.*

iiii *Quartum Interpretis officium est, Testem esse uerae sententiae certa auctoritate in ueteri & catholica Ecclesia receptae: & suo testimonio ac confessione alios*



## SCRIPTURÆ.

ne alios inbecilliores erudire & confirmare: & refutare errores ac corruptelas ueræ doctrinæ et interpretationis scripturæ, ab Hæreticis sparsas. Hæc præcipua Boni Interpretis munera sunt. Etsi enim alicubi lectio diuersa, & quæ ex his magis genuina sit, item contextus orationis, emphases & proprietates uerborum, paraphrasis obscuriorum sententiarum, usus eorum, quæ enarramus, item abusus, & alia exponenda sunt: tamen hæc omnia ad superiores Quatuor locos facile referri posse, perspicuum est.

III.

# CATALOGVS ET' DIVISIO LIBRORVM SACRÆ SCRIPTURÆ.

**L**ibri Bibliorum usitate nominantur Vetus & Nouum Testamentum, κατὰ συνηχθὴν, qua contentum pro continente sumitur, uidelicet, pro libris continentibus doctrinam de ueteri & nouo Testamento, seu fœdere Dei .h. de Lege & Euangelio. Quæ doctrina cum in utriusq; Testamenti libris pariter contineatur, tamen Vetus Testamentum usitate libri Mosis & Prophetarum ante Christi aduentum editi: Nouum uero Testamentum libri Euangelistarum & Apostolorum, post Christum



## CATALOGVS LIBROꝝ

Christum exhibitum scripti, nominantur.

Vetus Testamentum Ebraei, Arbaah ueesrim .i.  
Quatuor & Viginti, à numero Librorum adpellant.  
Quos diuidunt in quatuor classes.

I. Thora seu LEX, uidelicet Quinq; libri  
MOSIS.

II. Prophetae primi, IOSUA, IVDICVM,  
SAMVELIS & REGVM. Iosua suum librum &  
decem uersus de Lege: Samuel librum Iudicum &  
Ruth, et historiam Heli, Saulis & Dauidis: Iere-  
mias Propheta duos posteriores libros Regum scri-  
psisse existimatur.

III. Prophetae postremi. ESAIAS, IERE-  
MIAS, EZECHIEL, & liber DVODECIM Pro-  
phetarum: qui sunt, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Io-  
nas, Micheas, Nahum, Ahacuc, Sophonias, Haggæus,  
Zacharias, Malachias. Arbitrantur autem Iudæi,  
libros Ezechielis & XII. Prophetarum, compositos  
esse à uiris Synagoge maioris, qui post reditum ex  
Babylone unà uixerunt, uidelicet ab Haggæo, Za-  
charia, Malachia, Daniele, Anania, Misaele, AZA-  
ria, Esdra, Nehemia, Mardocheo, &c.

III I ἀγιογράφα Vndecim, uidelicet: PSAL-  
MI, Prouerbia. Iob. Canticum, Ruth, Threni. Ec-  
clesiastes. Hester. Daniel, Esdras cum Nehemia. &  
Verba dierum seu Paralipomena, quæ Esdræ authori  
accepta referunt.

Et hi



## RVM SCRIPTVRÆ.

Et hi libri omnes CANONICI adpellantur, quos uelut Canonem seu normam ueræ agnitionis Dei, seu ueræ de Deo doctrinæ et omnium dogmatũ & con- trouersiarũ de dogmatibus regulam, Ecclesia sequi- tur. Hinc etiam Canonici dicti sunt, qui hosce libros Veteris et Noui Testamenti legunt et interpretantur.

Canoni-  
ci

Alij nominantur libri Apocryphi, quos etsi piam do- ctrinã et Ecclesiæ utilẽ continent, tamẽ quia in Ebræ- is Biblijs non extant, inferiore authoritate sunt, quã ut ex eis testimonia in rebus dubijs peti & dogmata confirmari possint, ut Iudith, Sapientia, Tobias, Sy- rach, Baruch, Maccabæorũ, pars Esther et Danielis.

Noui Testamenti libri sunt Quatuor Euangelia seu Historie uitæ & Doctrinæ Christi descriptæ à Matthæo, Marco, Luca & Iohanne. Acta Aposto- lorum, Petri & Pauli præcipue: Epistolæ Pauli, ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephe- sios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessaloni- censes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Phi- lemonem. Epistola Petri prima, Epistola Iohannis prima. Hos uiginti libros, nemo unquam dubitauit, uera & γνήσια Apostolorum scripta Canonica esse, ex quibus tuto peti fundamenta articulorum fidei possint. De reliquis septem libris, uidelicet Epistola ad Ebræos & Epistola Iacobi, Iudæ, Petri postero- re, Iohannis secunda & tertia, et Apocalypsi, in pri- ma Ecclesia ab aliquibus dubitatum fuisse Eusebius, et alij



## DISCRIMEN INTER LIBROS

Et alij scriptores ueteres passim indicant. Usitatam Diuisionem, qua Veteris & Noui Testamenti libros in Legem, Historias, Sapientiam & Prophetias uulgo tribuunt, omitto. Sed titulos librorum, ea etiam de causa recensui, quod comperi nimis multos esse, de quibus Nazianzenus inquit, eos Episcopi munus appetere, cum tamen titulos librorum sacrorum nondum norint.

V.

## DISCRIMEN INTER LIBROS EVANGELISTARVM ET ETHNICORVM

Sapientum, ut Platonis, Xenophontis, Vitas Plutarchi & similes.

**M**ulti non aliam in libris sacris maiorem sapientiam tradi existimant, quam Philosophiam seu praecepta Legum de consilijs & actionibus uitae honeste regendis, & moderandis affectibus. Et quia omnes homines & religiones, aliquem Dei cultum & uirtutum notitiam retinent: omnes religiones inter se pares esse, & ceremonijs tantum ac ritibus externis differre putant. Cumq; praecepta morum in Platone, Aristotele, Cicerone, multo concinnius, ut uidetur, & elegantius, ac splendidius tradita sint: libros Prophetarum & Apostolorum

rum



SACROS ET ETHNICOS.

rum uelut ineruditum et agreste genus Scriptorum  
 superbe contemnunt: Multi etiam nihil differre  
 Christum à Socrate, Seneca, uel similibus iniuste op-  
 pressis arbitrantur. Has prophanas imaginatio-  
 nes studiosi ex animis eijciant: ac sciant Duo distin-  
 cta Doctrinae genera et accuratis ac conspicuis limi-  
 tibus inter se discernenda esse, LEGEM, & EVAN-  
 GELION de CHRISTO. Ac Ethnicos scriptores  
 Platonem, Ciceronem, & totam Philosophiam Mo-  
 ralem, tantum LEGIS particulam complecti, quate-  
 nus de externis moribus & omnium uirtutum officijs  
 honeste regendis præcipit. Nomino autem particu-  
 lam Legis, quia primæ Tabulae notitia de uera agni-  
 tione & cultu unius ueri Dei in uerbo patefacti, &  
 tota doctrina de interiore & perfecta cordis mun-  
 dicie, & accusatione peccati in natura hærentis,  
 prorsus apud Ethnicos obscurata fuit monstrosa  
 multitudine Deorum, & cultibus electitijs, & Pha-  
 risaïcis opinionibus de externa disciplina.

Sed libri Euangelistarum, & reliquorum Apo-  
 stolorum, non modo præcepta de moribus & LEGIS  
 doctrinam integram, uerumetiam peculiarem sapi-  
 entiam longè supra & extra conspectum humane et  
 Angelicæ rationis à Deo reuelatam continent, uide-  
 licet EVANGELION: quod docet, DEVM im-  
 mensa bonitate & misericordia, misisse in Mundum,  
 Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, ut  
 assumpta

si uan  
 est tunc



## DISCRIMEN INTER LIBROS

assumpta humana natura, iram Dei aduersus nostra peccata sua passione ac morte placaret, & pro peccatis satisfaceret, ac ut per eum et propter eum, remissionem peccatorum, gratiam Dei, liberationem à peccato & morte, et uitam ac gloriam cum Deo æternam fide assequamur. Hanc sapientiam Ecclesie propriam & Platoni, ac Plutarcho planè ignotam, tradunt EVANGELISTÆ: & simul historiam uitæ Christi recitant, ut testentur Christum redemptorem Patribus promissum, certo exhibitum esse, & hunc Iesum natum ex Virgine Maria, uerè esse promissum saluatorem, propter quem credentibus iustitia & uita æterna restituatur.

Discrimen etiam infinitum est inter Christum & Socratem, Senecam, et homines sanctos in Ecclesia Dei. Primum enim Persona differunt, quæ in Christo est diuina ὁμοῦσις Deo Patri æterno. Deinde officio, Nam solus Christus est propiciator & uictima placans iram Dei, tollens peccatum & mortem et restituens iustitiam & uitam æternam, I. Cor. 3. Act. 4. Ceteri Homines, etiam sancti, non sunt redemptores, sed Ministri uerbi, per quod Christus beneficia sua generi humano annunciat & exhibet. Tertio Efficacia. Christus propria potentia per ministerium Doctrinæ suæ efficax est & corda conuertit ac uiuificat. Homines sancti non sunt propria potentia efficaces sed tantum sunt ministrò



## SACROS ET ETHNICOS

ministri uerbi & Sacramentorum. Quarto, Christus est ἀναμάρτητος. Ceteri homines omnes multis sordibus peccatorum polluti sunt: sancti uenialibus, Ethnici mortalibus. Quinto. Inter Socratem, Hesiodum, Senecam, & Christum ac ceteros sanctos, etiam hoc interest, quod illi solius Legis Doctores sunt, obscuratae tamen multis erroribus & Idolomanijs. Sed hi non tantum Legem integram docent, uerum etiam Euangelion.

Sic differentia inter Historiam uitae Christi ab Euangelistis descriptam, & uitas Plutarchi, uel alias Ethnicorum historias, infinita est. Ac sex Discrimina praecipua nuper recitavi, in commonefactionibus de lectione Historiarum recte suscipienda. Inde huc assumantur.

### VI.

## DE CERTITUDINE DOCTRINAE IN LIBRIS NOVI TESTAMENTI patefactae.

**S**olam hanc Religionem & Doctrinam de DEO, in scriptis Euangelistarum & Apostolorum traditam, esse ueram, certam, diuinam et immotam, & uere patefacere hominibus arcanam

C

uolun-



## CERTITUDO

uoluntatem Dei: & quod omnes aliæ religiones pugnantes cum Christiana religione, ut Ethnica, Ægyptiaca, Turcica, &c. commentitiæ sint & à Deo reiectæ & damnatæ: Sedecim testimonia confirmant, quæ alibi prolixè explicauimus.

I. MIRACVLA propria nature diuinæ & omnipotentis, ut resuscitatio mortuorum & similia, quibus sola Euangelij doctrina est confirmata, Matth: 9. 28. Luc: 7. Ioh: 11. Act: 9.

II. Experientia uiuersalis omnium piorum, qui in serijs doloribus et morte, ueram & efficacem consolationem & pacem conscientie, ex sola Euangelij doctrina, percipiunt & sentiunt, ut in Psalmo dicitur, Verbum tuum uiuificat me. Item, Si quis uerbum meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

III. Antiquitas Doctrinæ Euangelij, quæ una cum condito genere humano statim in Paradiso coepit: & per Mosen, qui multis seculis Græcos scriptores antecedit, & per reliquos Prophetas usq; ad Christum & nostram ætatem propagata est. Verissimum est autem, quodcunq; primum: adulterinum uero quodcunq; posterius.

III. Vaticinia Prophetarum de rebus maximis & remotissimis, ut de uniuersalibus mundi mutationibus, de ordine Monarchiarum, de aduentu Christi, &c. quibus certo euentus respondit.

V. Ip-



## THEOLOGIAE.

V. Ipsum genus Doctrinae, quod res grauissimas & longe supra Philosophiae & rationis humanae conspectum positas, de causa peccati, calamitatum, & mortis humanae, de Remedijs opponendis peccato & morti, de placanda ira Dei per Christum, de Immortalitate hominum, de extremo iudicio et uita aeterna, patefacit.

VI. Series continua Doctorum & instauratorum Doctrinae Euangelij, à Mundi initio usq; ad nostram aetatem deducta: qualem Doctorum continuationem nulle aliae religiones habent.

VII. Consensus & perpetuitas doctrinae, quae una & eadem & secum ipsa constans, omnibus temporibus in Ecclesia mansit. Etsi enim externi ritus mutati sunt, tamen unica & eadem mansit uox Doctrinae Legis & Euangelij.

VIII. In sola Ecclesia mansit notitia Legis Dei integra: cum omnes caeterae gentes, contra insitam naturae notitiam unius ueri Dei, monstrosam multitudinem Deorum, & Inuocationem hominum mortuorum: contra Quintum praecipuum Mactationes humanarum hostiarum: contra sextum, multiplices confusiones libidinum, receperunt & approbarunt.

IX. Series Annorum Mundi, à primo initio, continua, nusquam, nisi in sola Ecclesia, conseruata est.

X. Doctrina de Coniugio & castitate, & uitandis libidinibus uagis & diuortijs, in sola etiam Ecclesia Dei permansit.



## CERTITUDO THEOL:

XI. Miranda conseruatio Doctrinae Euangelij inter tot furores Diabolorum & Tyrannorum, qui eam funditus delere conati sunt.

XII. Odium Diaboli rabiosius persequentis Euangelij doctrinam, quam ulla alias religiones Idolatricas, quibus quietem & pacem & summas opes plerumq; tribuit.

XIII. Authoritas & multitudo Testium fide dignorum, Prophetarum, Apostolorum, 500. fratrum, quibus Christus ex morte resuscitatus apparuit.

XIIII. Testimonium omnium Martyrum, qui suo sanguine effuso doctrinam Euangelij ueram & diuinam esse testati sunt.

XV. Pœnae horrendae omnium blasphemorum & persecutorum Euangelij, ut Herodis, Neronis, Iuliani, Arii, &c.

XVI. Testimonia sacrae scripturae adiungantur.  
1. Theß. 2. Accepistis non sermonem hominum sed sicut reuera erat, sermonem Dei, qui & efficax est in uobis credentibus. Ioh. 12. Sermo quem locutus sum, iudicabit eos in nouissimo die, quia à meipso nihil locutus sum, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.  
2. Pet. 1. Non uoluntate hominum allata est unquam Prophetia, sed à spiritu sancto impulsu locuti sunt sancti Dei homines.

De Ra-



## DE RATIONE

## STVDENDI IN THEO-

## LOGIA, DECEM REGVLÆ IN CON-

*spcctu sint, quarum explicationi uberiori,*

*peculiarem orationem, De studio*

*Theologiæ rectè inchoando,*

*aliàs tribui.*

**C***um de DEO rectè disci nihil pos-*

*sit, nisi ipso Deo docente: quotidie ardentibus uotis à Deo petamus, ut ipse nos Spiritu sancto suo doceat, & studia nostra adiuet & regat, ut sint Ecclesiæ & nobis ipsiis salutaria.*

**II. TEXTVM** Bibliorum nobis familiariter notum reddamus. Non enim aliter à nobis agnoscere uult & coli Deus, quàm sicut se in suo **VERBO** libris sacris comprehenso patefecit. Et hoc uno modo & non aliter, quàm per lectionem & cogitationem Textus uerbi diuini, efficax est: & ueram sui cognitionem, iustitiam & uitam æternam in nostris cordibus accendit. Quotidie igitur, mane postquam surreximus, & uesperis cubitum ituri, unum caput in Biblijs ordine studiosi legant.

**III. SVMMAM** totius Doctrinæ Christianæ erudita Methodo expositam, animo complectamur. Hanc commodissime ex libello Examinis, & locor



## MODVS STUDENDI

rum Theologicorum assidue & attente lecto & relecto studiosi discent.

IIII. Ad hanc Methodum certam in discendo & docendo, & refutandis Doctrinae corruptelis, necessaria est DIALECTICA: cuius precepta & usum, ex Erotematis rectissime studiosi cognoscent.

V. Disputationum & Declamationum exercicia suscipienda sunt, quae & iudicium de ueris sententijs confirmant & acuiunt, & facultatem propriae & perspicuae orationis pariunt.

VI. LINGVAE EBRÆÆ & GRÆCÆ cognitio necessaria est, ut ex fontibus, ueram de Deo Doctrinam haurire, & cum Filio Dei, Prophetis & Apostolis, sine interprete colloqui possimus.

VII. Aliorum eruditorum & Patrum commentarij legendi sunt, ut iudicijs & consensu Ecclesiae catholicae nostram fidem confirmemus: Quae uero Lutheri, Philippi, Ieronymi, Augustini, Basilii & aliorum Patrum scripta potissimum legenda sint, prolixè in oratione De studio Theologiae, admonui.

VIII. Historia totius Ecclesiae, & in primis ueterum certaminum & iudiciorum primitiuae Ecclesiae, quae Apostolorum temporibus uicinior fuit, cognoscenda est, ex Patribus uetustissimis, & scriptoribus Historiae Ecclesiasticae, Eusebio, Tripartita, Nicephoro, Actis conciliorum, ex canonibus Iuris Pontificij, ex Magistro sententiarum, &c.

IX. To-



## IN THEOLOGIA

**IX.** Totius Philosophiæ, artium dicendi, linguarum, Ethicæ ac politicæ, Arithmeticæ, Physicæ, Astronomiæ & Geographiæ initia, Ecclesiæ cognitio utilia ac necessaria sunt.

**X.** Precipue autem Theologū bonum, sancta Crux & tentationes ac ærumnæ multiplices efficiunt, in quibus Fides, inuocatio, spes, patientia, humilitas & omnes cœteræ uirtutes exercentur & crescunt & expoliuntur: & uis ac efficacia uerbi in corde sentitur, & tota cœlestis doctrina ad usum transfertur.

Postremo insignem hanc Epicteti sententiam adolentes meminerint. Ειδέναι χρῆ, ὅτι οὐ ράδιον δόγμα παραγενέσθαι ἀνθρώπῳ, εἰ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λεγῆτις, καὶ ἀκῆῃ, καὶ ἅμα χρώτο πρὸς τὸν βίον.

### VIII.

## DE TITULO

# NOVVM TESTAMENTVM.

**V**icinae voces sunt in scriptura, Testamentum, Promissio, Fœdus, & Pactum quibus



NOVVM

bus interpretes latinus Ebraeum uocabulum Berith, & Graecam uocem διαθήκη ferè promiscue reddidit. Ac idem ferè est Testamentum, quod promissio, sed mortem Testatoris unà includit. Ebr. 9. Fœdus est promissio mutuae fidei & defensionis ac societatis arctissimæ, certis conditionibus & ceremonijs solennibus conciliata. Pactum est duorum pluriumue in idem placitum consensus: à paciscor, unde et pacis nomen ortum est.

Requirunt autem hæc uocabula, promissionem seu obligationem mutuan duarum personarum, inter quas amicicia & coniunctio arctissima certis conditionibus et ceremonijs sancitur. & Testamenti appellatio significat Deum testatorem sua morte & sanguine promissionem obsignaturum fuisse. Proprie enim Testamentum significat promissionem morituri, qua supremam uoluntatem suam alijs testatur, & hæredibus certis, sua bona nuncupat, et quid uicissim ab hæredibus præstari uelit, declarat.

*Definitio  
Noi  
w/1-ant*

Est igitur NOVVM TESTAMENTVM propriissime definiendo, nihil aliud, quàm Euangelion .i. promissio seu pactum seu fœdus inter Deum & Ecclesiam initum, in quo Deus remissionem peccatorum, gratiam suam, spiritum sanctum & uitam æternam gratis propter Filium suum pro nobis mortuum & resuscitatum Ecclesie promittit et impertit Et Ecclesia uicissim hæc bona fide accipit, & Deum uera



## TESTAMENTVM.

uera pietate & obedientia celebrat. Hæc descrip-  
tio ex Gal. 3. & uerbis Cœnæ DOMINI & Ebr. 9.  
Gen: 17. 2. Cor: 3. Ierem: 11. extruitur.

Est autem hoc unicum & idem Testamentum  
seu Fœdus Dei, quod cum Adam, Abraham, Isaac,  
Iacob & omnibus Patribus fecit, per quod omnes  
sancti ab initio Mundi, ante & post Christum natum,  
in gratiam Dei & societatem uitæ ac salutis æternæ  
recepti sunt. Gal. 3. Act. 15. Eph. 4. una fides  
1. Cor: 10. Ioh: 8. Et huius fœderis Tabulæ sunt  
Libri Mosis, Prophetarum & Apostolorum, qui  
copiosius enarrarunt hanc promissionem seu fœdus  
cum Adam & Abraham factum, ERO DEVS  
TVVS & posterorum tuorum, & in semine tuo  
omnes gentes benedicentur. Quare primorum  
Parentum & Iudeorum fœdus æternum & princi-  
pale, & ad salutem necessarium, substantia & re  
ipsa nihil à Nouo Testamento differt, sed unum &  
idem fœdus est. uerum accidentibus & ceremonijs et  
appendicibus promissionum corporalium differunt.

VETVS ERGO TESTAMENTVM est pro-  
mulgatio Legis Mosaicæ seu fœdus, quo Deus, po-  
pulum Israel, ad seruandam Legem Mosaicam obli-  
gat, eiq; uicissim terram Canaan, & politiam pro-  
mittit, & Ceremonias ac sacrificia adiunxit, ut um-  
bræ essent & Typi personæ, sacrificij & beneficio-  
rum Christi, propter quem solum omnibus tempo-  
ribus

*Definitio  
Vetus  
Testa-  
mentum*



## NOVVM TESTAMENTVM

ribus credentes in foedus salutis aeternae recepti sunt, ut Act: 15. dicitur. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, sicut & Patres saluati sunt.

Vulgo autem usitatum est, Libros Bibliorum, à Mose, Prophetis & Apostolis scriptos, Vetus & Nouum Testamentum appellare, κατὰ συνῆχιν δοχῆν, qua contentum pro continente sumitur, videlicet pro libris, continentibus Doctrinam de veteri & nouo foedere Dei .h. de Lege & Euangelio.

Ideo Nouum Testamentum uocamus Euangelistarum & Apostolorum libros, qui post Christi aduentum scripti sunt. Vetus uero Testamentum, libros Moysi & Prophetarum ante Christi aduentum editos. Et in hanc sententiam utile dictum in Ecclesia usurpatur, Vetus Testamentum esse fontem noui Testamenti. & Nouum Testamentum esse lucem ueteris Testamenti.

IX.

## EVANGELION

secundum MATTHÆVM.

**M**ethodicam explicationem uocabuli EVANGELION, recitavi initio commentarij in Mattheum. Quare nunc de significatione uocabuli hoc unum



## EVANGELION

unum breuissime moneo, Ebraeam uocem BASAR, qua Esaias cap. 52. & 61. utitur, non tantum annunciare rem letam, uerumetiam idem significare, quod CARO. Itaq; ipsa uoce Basar indicari aiunt, Euangelion esse nuncium seu concionem de Filio Dei carnem humanam assumpturo, & de nostra carne, à sordibus peccati & mortis, per Christi carnem, mundanda.

Græca uox Ευαγγέλιον proprie significat bonum & letum nuncium, ab εὖ bonum & ἀγγέλλω nuncio: unde ἀγγελος .i. nuncius, ut in Tragedia dicitur ἔργει γὰρ οὐδεὶς ἀγγελον ἐπὼν κακῶν. Est enim Euangelium, proprie definiendo, letissimus nuncius de Christo saluatore, propter quem à Deo in gratiam recipimur, & à peccato & morte liberati, donamur iustitia & uita æterna, seu ut in Catechismo usitate definitur. EVANGELION est Doctrina de CHRISTO, non natura nota, sed ex arcano consilio Diuinitatis per Filium prolata, in qua Deus immensa misericordia propter Christum Filium suum GRATIS promittit remissionem peccatorum, iustitiam, spiritum sanctum & uitam æternam, omnibus agentibus pœnitentiam & fide hæc promissa bona amplectentibus.

In Titulo huius scripti Matthæi, Marci, Lucae  
ac Ioh.

Defini  
no  
Eu an  
gr. 14.



## EVANGELION.

ac Iohannis, Euangelion significat Historiam Vitæ & Doctrinæ Iesu Christi, qui Euangelion seu promissionem remissionis peccatorum & salutis æternæ primus ex arcano consilio diuinitatis protulit, & adsumpta nostra natura factus est uictima, ut per eum, ac propter eum, letissimus nuncius de placata ira Dei, & æterna salute, gratis donanda, hominibus adferretur.

Vt autem in cæteris historijs Personarum sapienter scriptis, ut in uitis Plutarchi & similium, tota narratio ad locos generis Demonstratiui accommodata est: ita in hac uitæ Christi historia, quam sanctus Matthæus descripsit, accurate singula Narrationis membra congruunt ad Locos Personarum in genere demonstratiuo, Qui sunt.

1. Natales seu Parentes seu Genealogia Christi.
2. Conceptio & Natiuitas Christi.
3. Historia pueritiæ.
4. Genus uitæ, ad quod ab æterno Patre ordinatur in Baptismo.
5. Res gestæ, uidelicet Doctrina seu Conciones Christi, et Miracula Testimonia doctrine.
6. Exempla uirtutum singulis pro sua facultate & uocatione imitanda.
7. Exitus uitæ, seu Mors.
8. Ea, quæ consecuta sunt mortem, uidelicet, Resurrectio, & Ascensio in cælum.

DE



X.

# DE SCRIPTO-

## RIBVS EVANGELIO-

RVM, MATTHÆO, MARCO,  
Luca, & Iohanne.

**N**omen *MATTHÆVS* signifi- *Matthæus*  
cat donum seu munus, à Mathath, quod à uer-  
bo nathan, deducitur, q. d. Theodorus, à Deo datus.

Patrem habuit Alphæum Marc. 2. & alio no-  
mine Leui dictus fuit, Luc. 5. Ac ex nominibus  
coniectura sumi potest, Matthæum non ex Ethnicis,  
ut aliqui opinantur, sed ex gente Iudaica ortum esse.

Fuit autem ante conuersionem, *τελωωνης* seu  
Publicanus, qui uidelicet publica uectigalia seu re-  
ditus populi Romani certa pecuniæ summa redime-  
bat, & postea non modo constitutam summam à  
populo colligebat, uerumetiam, quantum poterat,  
misera plebe expilata, ad suas opes augendas extor-  
quebat.

Hunc auarum prædonem Christus  
gratuita misericordia, ad societatem Ecclesiæ suæ  
& munus Apostolicum uocat Matth: 9. Luc: 5.  
Mar: 2. ubi in conuiuio Christus hanc insignem  
concionem habet. Non opus habent, qui sani sunt,  
Medico: sed qui male habent. Misericordiam uolo  
& non sacrificium, Non ueni ad uocandum iustos,  
sed peccatores ad pœnitentiam.

Post



## MATTHÆVS

Post Resurrectionem Christi, narrat Eusebius, Matthæum initio in Iudæa Euangelion prædicasse: cumq; ad gentes profecturus esset, rogatum à Iudeis, Historiam uitæ & doctrinæ Christi, à se Iudæis traditæ, hoc scripto complexum esse, anno octauo post ascensionem Christi.

In Historia Ecclesiastica aliquoties dicit Matthæum Ebraico sermone Euangelion literis mandasse. Et narrat, Pantænuni, Doctorem Academiæ Alexandrinæ, Euangelion Matthæi, scriptum Ebraicis literis, in India reperisse. Ieronimus etiam in libro tertio contra Pelagianos obiter indicat, in Cæsariensi Bibliotheca extare Euangelion iuxta Matthæum, Chaldaico quidem Syroq; sermone, uerum Hebraicis scriptum literis. Sed Erasmo probabilius uideatur, hoc Euangelion, eadem scriptum fuisse lingua, quâ cæteri scripserunt Euangelistæ.

Deinde in Æthiopia Euangelion circiter uiginti annos docuit, tanta fœlicitate, ut in hodiernum usq; diem Ecclesiæ Christianæ in ijs regionibus floreat, sub potentissimo Rege, quem nostri homines Præstian, seu Præteian, incolæ autem Belulgian, usitato apud eos Regiæ dignitatis nomine, appellant, cuius imperio circiter 40. Africæ regna parent,

Fuit autem patrum nostrorum memoria Præstian, cui proprium nomen Dauidi fuit. Ab huius filio Cladio scribunt Iouius, et Erasmus Roterodamus,

Legatos



## MATTHÆVS

Legatos ad Pontificem Romanum Clementem mis-  
sos esse, qui exposuerint, eandem de Deo, de tribus  
Personis, de Christo, de Resurrectione mortuorum  
& de cæteris Fidei articulis, doctrinam in ditioni-  
bus sui Regis sonare, quam Romana Ecclesia pro-  
fiteatur. Sed aliquanto minus esse ceremoniarum,  
& suis Sacerdotibus coniugium concedi, & omnes  
utraq; parte Sacramenti uti.

Nominatim autem in historia prædicationis  
Matthæi mentio fit Regis Egypti, & Reginae Eu-  
phrosynces, & filia Iphigeniæ, quam cum mortuo  
patre, Hirtacus quidam ducturus esset, & Matthæus  
coniugiū dissuaderet, ad aram ab eo obtruncatus est.

Nomen MARCVS politum seu mundum signi-  
ficat, à uerbo Marak, existimatur fuisse Discipulus  
& nepos S. Petri ex sorore Maria, ad quam diuertit  
Petrus Ierosolymis ab Angelo ex carcere eductus,  
(Act: 12. 1. Pet: 5.) consobrinus Barnabæ (Col. 4.)  
& aliquandiu comes peregrinationum Pauli &  
Barnabæ in propagatione Euangelij, Act: 13. 15.  
2. Timoth: 4. & ad Philemonem.

Hic Romæ rogatus ab auditoribus Petri, Euan-  
gelion seu historiam uitæ & doctrine Christi scrip-  
sit, quod tantum est Epitome Euangelij secundum  
Matthæum. Postea Alexandria in Ægypto prima  
Ecclesiæ Christi fundamenta iecisse scribitur ab Eu-  
sebio lib. 2. cap. 15. 16.

Lucas

Mat:  
Cuy



LVCAS

Lucas.

LVCAS Euangelista, professione Medicus fuit, Col: 4. & indiuiduus comes peregrinationum & carceris Pauli, ut perspicue apparet à cap 16. usq; ad finem Actorum, 2. Tim. 4. ad Philemonem. Et 2. Cor. 8. Paulus de Luca inquit, Misimus cum Tito fratrem eum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, Nec id solum, uerumetiam delectus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ.

Scripsit duos libros Historiæ Euangelicæ, quorum priore, (cui titulus est Euangelion secundum Lucam) Historiam Vitæ, doctrinam & Miracula seu Res gestas Christi, usq; ad ipsius Resurrectionem & Ascensionem in cælos complexus est. Posteriore uerò, cui titulus est ACTA APOSTOLORVM, ea, quæ Ascensionem Christi secuta sunt, persequitur, & duorum præcipue S. Petri & Pauli conciones & res gestas pertexit, usq; ad annum 4. Neronis, qui est à nato Christo 60.

Eusebius lib. 3. cap. 4. refert, Lucam natione Syrum & Antiochiæ natum esse. Ieronimus addit, eum 84. annos uixisse cœlibem & Constantinopoli sepultum esse, in quam urbem ossa eius translata sunt ex Achaia. Epiphanius pag. 27. prodidit Lucam ex numero LXX. discipulorum fuisse.

Nomen LVCAS significat assumptum à Lakah Latina Etymologia est à Luce. Nam singulari perspicuitate Historiam Christi descripsit, seruato ordine ac-



## IOHANNES

line accurato, & annotatis temporibus, & puro ac perspicuo genere orationis usus est.

IOHANNES Apostolus & Euangelista, filius fuit Zebedæi & Salomes, quam scribunt sororem fuisse Iosephi, sponsi Mariæ Virginis, frater Iacobi Maioris: initio piscator fuit: deinde ad munus Apostoli à Christo uocatus est, Matth. 4. 10. Luc. 5. 6. Mar. 1. 3.

Ioan.  
m.

Ante Christi resurrectionem, quanquam nondum munere Apostolico plenè fungebatur, & aliquid etiam infirmitatis & caliginis adhuc circumferbat, tamen apparet eum in intima familiaritate Christi præ cæteris Apostolis uersatum esse, Ioh. 21. 13. Hunc adhibet Christus cum filiam Iairi archisynagogi mortuam in uitam reuocaret: Ideoq; Iairi illius Discipulus fuisse existimatur, Luc. 8. Ducitur una in montem ad illud mirandum colloquium cum Mose & Helia, Luc. 9. in quo capite ter Iohannis mentio fit. Mar. 10. & Matth. 20. petit sibi in regno Christi proximam post Christum dignitatem attribui. Mar. 13. interrogat Christum de excidio Ierosolymitano. Luc. 22. mittitur à Christo ut Coenam in die Paschæ apparet. Marc. 14. & Matth. 26. una cum Christo abit in hortum Gethsemane. Ioh. 19. Adstat ad Crucem Christi cum Maria matre Christi. Ioh. 20. Currit ad sepulchrum Christi resuscitati. Ioh. 21. Videt Christum

D

resusci-



## IOHANNES

resuscitatum. Act. 3. Vna cum Petro sanat claudum. Act. 4. Confessionem fidei edit coram Synedrio Sacerdotum. Act. 8. Visitat Ecclesiam Samaritanam. Gal. 2. & Act. 15. interest Concilio Apostolorum Ierosolymis. Eusebius lib. 3. cap. 1. scribit eum Ecclesie Ephesine & vicinis in Asia praeuisse. Cap. 18. relegatur à Domitiano in Insulam Pathmos. Cap. 20. Sub Nerua Imp. redit ad Ecclesiam & Scholam Ephesinam, ex qua tres prodierunt illustres discipuli, Polycarpus, Ignatius, & Papias. Cap. 23. narrat historiam de Iuvene ex sodalitate latronum ad pœnitentiam reuocato. Lib. 4. cap. 14. recitat historiam de Cerintho hæretico, in quem casus Iohannes Apostolus in balneis incidit, quæ his uersiculis expressa est.

Impia Cerinthus sancto conuicia Christo  
Dum facit, & stulta garrulitate furit:  
Concidit, & rapido blasphemum contudit ictu,  
Collapse subito facta ruina domus.

Hic Cerinthus inter cæteros errores docuit etiam Christum purum hominem & non uere & natura Deum esse. Ad hunc errorem refutandum Iohannes statim initio sui Euangelij ostendit in Christo duas naturas diuinam & humanam inter se unitas esse, ita ut sit una persona Filius Dei Dominus noster Iesus Christus.

Scripsit autem Euangelion post cæteros Euangelistas



IOHANNES

gelistas & ab his omiffas conciones et miracula Christi, crudite & puriff. ac elegantiff. orationis genere descripsit, Vide lib. 3. cap. 24. Eusebij.

XI.

**VT ADOLES-**  
**CENTIBVS ILLUSTRIOR**  
*fiat Lectio Evangelistarum, SERI-*  
**EM TOTIVS HISTORIÆ EVANGELICÆ,**  
**EX QVATVOR EVANGELISTIS coagmenta-**  
*ta; & aliquot annorum ac rerum, quæ paulo*  
*ante & post Christum natum, in*  
*Politia Iudaica acciderunt,*  
*adscribam.*

A condi  
to Mun-  
do.  
3902.

ANTE CHRISTVM NATVM.

60. **I**VDÆA primum in Ro-  
manorum potestatem uenit, cap-  
tis à Pompcio Ierosolymis & muris diru-  
tis, eo ipso anno, quo Romæ, Cicero Con-  
sul, Catilinam repressit. Relicta est tamen  
Iudæis αὐτονομία, & Hyrcano II. pro-  
nepoti Simonis, fratris Iudæ Maccabæi  
summum sacerdotium confirmatum est.  
Apud hunc Hyrcanum in magna autorita

D 2 tc &



**A condi-  
to Mun-  
do.**

**ANTE CHRISTVM NATVM**

- te & potentia fuit Antipater Herodis pater.
3902. Eodem anno natus est Ioiakim Mariae pater, ut Annius in Philonem scribit.
3909. 53. Antipater adiuuit Gabinium in restitutione Regis Ægyptij, Ptolemæi Aulete, cuius mentio fit in primo Epistolarum Ciceronis.
3911. 51. M. CRASSVS. contra Parthos proficiscens, Templum Ierosolymitanum (quod antea inuiolatum Pompeius reliquerat) spoliat, ablatis 60. Tonnis auri. Ideo statim à Parthis trucidatur.
3912. 50. Concessum Hircano & Antipatro, ut muros Ierosolymorum instaurarent.
3916. 46. BELLVM CIVILE inter Iulium Cæsarem & Pompeium geri cœpit.
3918. 44. Antipater in bello Alexandrino Cæsarem fideliter adiuuit. Ideoq; Tutor Iudææ, à Cæsare constitutus, Herodem filium, Galileæ præfecit.
3921. 41. IVLIVS Cæsar interfectus à coniuratis, ex quibus Cassius in Syriam ueniens 4. Tonnas auri à Iudæis exegit.
3922. 40. ANTIPATER ueneno sublatus.
3923. 39. HERODES, ab Antonio, Tetrarcha Iudææ constituitur anno sequenti, quo M. T. Cice-



Anno ANTE CHRISTVM NATVM.

Mundi. Tullius Cicero interfectus est, & Brutus ad Philippos uictus.

3924. 38. PARTHI in Iudeam irruunt reducetes Antigonum Regem. Herodes cum suis ad Cleopatram fugit.

3925. 37. HERODES Romam uenit & ab Augusto & Antonio Rex Iudææ creatur.

3929. 33. HERODES adiutus à Romanis Ierosolyma expugnauit quarto anno postquam Rex declaratus fuerat.

3935. 27. Victus Antonius ad Actium, ab AVGVSTO, à quo Regnū Herodi auctum est.

3948. 14. Virgo Maria nascitur.

## SERIES HISTORIÆ EVANGELICÆ.

Anno Mundi.

3960. ANGELUS Gabriel nunciat Zachariæ conceptionem Iohannis Baptiste (Luc. I.) mense Septembri.

3961. Die 25. Martij, Gabriel annunciat Mariæ uirgini conceptionem Domini nostri Iesu Christi, Luc. I.

Paucis diebus post, Prima Synodus noui Testamenti celebrata est conuenientibus

D 3

Maria



Anno

SERIES HISTORIÆ

Mundi.

3961.

Maria uirgine grauida, & S. Elizabetha,  
& alijs pijs: in qua Synodo decretum est,  
Messiam patribus promissum, iam exhibi-  
tum & conceptum esse. & canticum Ma-  
rie (Magnificat anima mea Dominum)  
primo compositum est, Luc. 1.

24. Iunii, Iohannes Baptista nascitur  
& Pater Zacharias insigni cantico (Bene-  
dictus Dominus Deus Israel) gratias Deo  
agit, quod Christum saluatorem iuxta pro-  
missiones Patribus datas exhibuit, Luc. 1.

3962.

1. FILIVS DEI, DOMINVS NOSTER  
IESVS CHRISTVS, EX VIRGINE  
MARIA, semine Abrahæ & Dauidis, NA-  
TVS EST, Luc. 2.

Die octauo circumciditur: & die 40.  
offertur in Templo & à Simeone in ulnis  
gestatur, Luc. 2.

CHRISTVS infans à Magis ex oriente  
uenientibus adoratur, & fugit in Ægyptum,  
Matth. 2.

Herodes interficit infantes, & statim  
postea horrendo morbo confectus moritur.

3964.

3. ARCHELAVS filius Herodis Eth-  
narcha Iudææ.

CHRISTVS ex Ægypto reuertitur in  
oppidum Nazareth, Matth. 2

Herodes



Anno

EVANGELICÆ.

Chri-  
sti.

HERODES Antipas, frater Archelai, Tetrarcha Galileæ ab Augusto constitutus est.

11.

Archelaus ab Augusto relegatur in Galliã.  
Coponius præses Iudeæ.

12.

IESVS puer duodecim annorum ad festum Paschæ Ierosolyma profectus, et à parentibus amissus, reperitur in templo, Luc. 2.

13.

Marcus, Iudeæ Rector.

15.

Annius Rufus, Iudeæ præses.

16.

TIBERIVS Cæsar successit Augusto mortuo die 19. mensis Augusti.

17.

Valerius Gratus præses Iudeæ.

28.

PONTIVS PILATVS præses in Iudeam mittitur.

30.

IOHANNES BAPTISTA, anno 15. Tiberij Cæsaris, ministerium noui Testamenti inchoat, prædicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, Luc. 3. Matth. 3. Mar. 1. Complexus est autem Iohannes in suis concionibus integrum corpus omnium articulorum Doctrinæ Christianæ, ut ex membris concionum ipsius coagmentatis perspicuum est, quæ Ioh. 1. 3. 5. Luc. 3. 7. Matth. 3. 14. Mar. 1. 6. annotatæ sunt.

CHRISTVS in Iordane Baptizatur, Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ioh. 1.

Ductus in Desertum tentatur à Satana,

Matth. 4. Luc. 4.

D 4 Iuz



Anno  
Christi  
30.

SERIES HISTORIÆ

Iudæi mittunt Legatos ad Iohannem sciscitatum  
an ipse esset Christus Ioh. 1.

Andreas, Petrus, Philippus & Nathanael Chri-  
stum sequuntur, Ioh. 1.

Nuptie in Cana Galilææ. Ioh. 2.

T PASCHA PRIMVM AB INITIO PRÆDI-  
CATIONIS Christi, in quo eijcit ementes & uen-  
dentes ex templo, Ioh. 2.

Disputatio cum Nicodemo, de ratione peruenien-  
di in Regnum Dei, & insignis illa concio habita  
est, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum uni-  
genitum daret, &c. Ioh. 3.

Christus rursus uenit in Iudæam cum Discipu-  
lis suis, & baptizat: Iohanne nondum capto, Ioh. 3.

Inde reuersurus in Galilæam transit Samaritiam,  
& ad fontem uicinum urbi Sichem, colloquitur cum  
muliere Samaritana, de uero cultu DEI, Ioh. 4.

Docuit in oppido Nazareth Propheta non ac-  
ceptus in patria sua, Luc. 4.

In Cana Galilææ sanat filium Reguli, Ioh. 4.

Cum autem audiuisset, quod Iohannes Baptista  
traditus esset, relicta Galilæa habitauit in Caperna-  
um, quæ urbs, cum colonia Romana esset, & præ-  
sidio Romano teneretur, tutior in ea fuit, quàm in  
Galilæa, Matt. 4. Mar. I

Tunc cœpit Iesus predicare, & uocauit Apo-  
stolos, Petrum, Andream, Iacobum, Iohannem,  
Matth.



EVANGELICÆ.

Matth. 4. Mar. 1. & Sabbato docet in Synagoga  
urbis Capernaum, Marc. 1.

Postea circumit totam Galileam prædicans  
Euangelion regni & sanans omnem morbum. Ideo  
ingens turba ex omnibus locis eum secuta est, Matth.  
4. Qui præfente, prolixam illam Concionem, qua  
LEGEM Dei enarrauit, in Monte habuit: descrip-  
tam à Mattheo cap. 5. 6. 7.

Descendens de monte curat Leprosum, & in-  
gressus Capernaum, sanat Centurionis ministrum  
paralyticum, Matth. 8.

Postea iterum docet in Synagoga urbis Caper-  
naum, & Socrum Petri febre laborantem liberat,  
Luc. 4. Matth. 8. Mar. 1.

Egressus ex urbe concionatur ad lacum Gene-  
sareth, & iterum uocat Petrum, Iacobum & Iohan-  
nem pisces, Luc. 5. Inde traicit in fines Gere-  
senorum & duos Dæmoniacos liberat à legione Dæ-  
moniorum, quæ porcos suffocant, Matth. 8.

Traiecto iterum lacu, ueniens in suam urbem  
(s. Capernaum, in qua ius ciuitatis habebat) Matth.  
9. iterum mundat leprosum, Marci 1. Luc. 5.

Matthæus à Teloneo ad munus Apostolicum  
uocatur, Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Filia Primatis mortua resuscitatur, & mulier  
αἰμορροῦσα & duo cæci curantur, Matth. 9.

D 5

Pascha

Anno  
Christi

31.



SERIES HISTORIÆ

Anno  
Christi  
31.

11 PASCHA SECVNDVM Ioh. 5.

Christus sanatum iubet gestare lectum suum in Sabbato. Inde disputationes de Sabbato & diuinitate Christi secutæ sunt, Ioh. 5.

Discipuli in Sabbato spicas uellunt, Luc. 6. Mar. 2. Matth: 12. Christus in Sabbato curat manum aridam, Luc: 6. Mar: 3.

Christus extrudit operarios in Messem suam, & mittit DVODECIM Apostolos, Matth: 10. Mar: 3. Luc: 6.

Postea longam illam concionem de uera beatitudine, et ueris cultibus Deo placentibus habet, Luc: 6.

Vno uerbo curat seruum centurionis absens, & Filium uiduæ in Nain resuscitat, Luc. 7.

Legatio Iohannis ad Christum, Matt. 11. Luc. 7.

Christus gratias agit Patri pro reuelatione Euangelij: & uocat ad se omnes, qui laborant & onerati sunt, Matth. 11.

Prandet apud Phariseum Simonem, & ungitur à Maria Magdalena, Luc. 7.

Inde pertransit castella & uicos, prædicans: mulieribus ministrantibus ei ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς, Luc. 8.

Liberat Dæmoniacum cœcum & mutum digito Dei, non per Beelzebub, Matth. 12. Mar. 3.

Signum Ionæ, Matth. 12.

Mater



EVANGELICÆ.

Mater & Fratres Christi sunt, qui uerbum Dei audiunt & custodiunt, Matth. 12. Mar. 3.

Octo Parabolæ à Christo recitatae, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

Digressus illinc traicit in regionem Gadarenorum & liberat Dæmoniacum. Reuersus resuscitat Filiam Iairi, Luc. 8. Mar. 4. 5.

Docet in Patria & contemnitur, Marc. 6. Matth. 13. in fine.

Rursum mittit Apostolos, Mar. 6. Luc. 9.

Pascit 5000. hominum, quinq; panibus & duobus piscibus, Matth. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioh. 6.

Ambulat in mari, Matth. 14. Mar. 6.

Postera die habuit prolixam illam concionem de Fide in Christum, & manducatione carnis Christi, Ioh. 6.

PASCHA TERTIVM AB INITIO PRÆDICATIONIS CHRISTI, Ioh. 6.

Disputatio cum Phariseis de Traditionibus humanis, Matth. 15. Mar. 7.

Liberat Filiam Syrophænissæ à Dæmonio & curat surdum, Mar. 7. Matth. 18.

Pascit 4000. hominum septem panibus, Matthæi. 15. Mar. 8.

De Signo Ionæ & fermento Phariseorum, Matth. 16.

Venit in partes Cesareæ Philippi, & audit confessi-

Anno  
Christi.

32.

111



SERIES HISTORIÆ

Anno  
Christi  
32.

confessionem Petri, Tu es Christus Filius Dei uiuentis, Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9.

Prædicat suam passionem, & prædicat de cruce Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9.

Transfiguratio Christi in monte, & colloquium cum Mose & Elia, Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9.

Curat lunaticum, ibidem.

Soluit διδραχμον, Matth. 17.

Disputatio Discipulorum de Primatu, Matt. 18. Marc. 9. Luc. 9.

Concio Christi de Receptione lapsorum, & remissione peccati diuina & humana, Matth. 18.

Factis his concionibus migrat in Iudeam, Matt. 19. Mar. 10. & in medio festi Scenopegie Ierosolymis in Templo palam concionatur, Ioh. 7. 8. 9. 10. Mansit enim Ierosolymis usq; ad festum Enceniorum in media hyeme, Ioh. 10.

33.

Inde fugiens Iudeos transit Iordanem, Ioh. 10. Et factum est cum complerentur dies assumptionis illius & ipse faciem suam confirmauit, ut iret Ierosolymam, Luc. 9.

Hoc postremo tempore ministerij Christi existimant omnia illa à Christo dicta et facta esse, que Lu. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. descripta sunt.

Mensis  
MARTII,  
DIE

Christus accipit nuncium de lethali morbo Lazari, Ioh. 11.

XI. XII. Audito nuncio de ægritudine Lazari manet



## EVANGELICÆ.

manet in eodem loco duos dies, Ioh. 11.

Interea Pharisei tentantes eum interrogant de Diuortio. Ibidem allatis ad se Infantibus benedicit, Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

DIE Mensis MARTII.

XIII. Lazarus mortuus est, ad quem resuscitandum, & ad Passionem suam, CHRISTVS iter instituit in Iudæam, Ioh. 11.

Egrediente CHRISTO occurrit Princeps quidam dicens: Magister bone, quid faciam, ut uitam æternam consequar, Mar. 10. Matth. 19. Luc. 18.

Parabola de Operarijs laborantibus in Vineâ, Matth. 20.

CHRISTVS prædicat Apostolis suam Passionem ex Prophetis, sed ipsi nihil horum intelligunt, Mar. 10. Luc. 18. Matth. 20.

Filij Zebedæi petunt, ut alter à dextris, alter à sinistris sedeat in Regno Christi, Mar. 10. Matt. 20.

Accedens ad Iericho sanat Cæcum, Luc. 18.

Ingressus Iericho diuertit apud Zachæum, Luc. 19

Confectis eo die duobus miliaribus.

XIIII. Egressus Iericho sanat Cæcum filium Timæi, Mar. 10.

Item alijs duobus cæcis uisum restituit, Matt. 20.

XV. Commoratur in itinere uersus Bethaniam, quæ distat à Iericho quatuor nostris miliaribus.

Tardius autem processit, quia magna multitudo homin.

Anno  
Christi  
33.



SERIES HISTORIÆ

- Anno Christi  
33.  
MARTII  
DIE.
- hominum ubiq; cum conuenit, in qua concionatus est & miracula edidit.
- XVI. Christus uenit Bethaniam, & Lazarum, quarto die iam in sepulchro decumbentem, resuscitat, Ioh. II.
- XVII. Redit in desertum in ciuitatem Ephraim, Ioh. II.
- XVIII. Fortassis manet in deserto.
- XIX. Ante sex dies Paschæ redit Bethaniam, ubi cum Lazaro cœnat Sabbato, Ioh. IZ.  
Maria unguento perfundit pedes CHRISTI, Ioh. IZ.
- XX. DIES PALMARVM, Matth. 21. Marc. II. Luc. 19. Iohan. IZ.  
Accedens ad urbem flet super eam, Luc. 19.  
Ingressus in templum eicit ementes & uendentes, Marc. II. Matth. 21. Luc. 19.  
Græci cupiunt uidere CHRISTVM, Ioh. IZ.  
Vespere exit in Bethaniam, Marc. II. Matth. 21.
- XXI. Maledicit Ficui rediens ex Bethania, Mar. II. Matth. 21.  
Iterum eicit numularios ex templo, Marc. II.  
Vespere egreditur ex urbe, Marc. II.
- XXII. Mane præterit Ficum arfactam, Mar. II.  
Rediens in templum interrogatur à Phariseis de sua uocatione, Matth. 21. Marc. II. Luc. 20.  
Eadem die omnes conciones & disputationes habite



EVANGELICÆ.

habite sunt, quæ describuntur, Matth. 21. 22. 23.  
24. 25. Mar. 12. 13. Luc. 20. 21.

Consummatis his sermonibus dicit discipulis suis:  
Scitis quod post biduum Pascha erit, Matth. 26.  
Marc. 14.

Vesperari cœnat Bethaniæ in domo Simonis le-  
prosi, Matth. 26. Marc. 14.

XXIII. Pactio IVDÆ, Luc. 22.

XXIII. CHRISTVS Pascha iudaicum celebra-  
brat vesperi.

Instituit COENAM DOMINI, Matth. 26.  
Marc. 14. Luc. 22.

Lauat pedes discipulorum, Ioh. 13.

Habet Concionem descriptam à Iohanne capite  
14. 15. 16. & precatur Iohan. 17.

Egreditur ad montem Oliueti, precatur, sudat  
guttas sanguinis, prehenditur à cohorte Pontificia.  
Ducitur ad Caipham, confitetur se esse CHRISTVM  
filium Dei. Petrus negat, Luc. 22. Matth. 26.  
Marc. 14. Ioh. 18.

XXV. PASCHA QVARTVM ET VL-  
TIMVM, in quo CHRISTVS uerum Pascha pro  
nobis in ara crucis immolatus est, Matth. 27. Mar.  
15. Luc. 23. Ioh. à medio cap. 18. usq; ad finem 19.  
SEPTEM DICTA CHRISTI IN CRUCE.

1 Pater, remitte eis, Luc. 23.

2 Hodie mecum eris in Paradiso, Luc. 23.

Commen-

Anno  
Christi.  
33.



SERIES HISTORIÆ

Anno  
Christi  
33.

- 3 Commendat matrem Iohanni, Ioh. 19.  
 4 Deus meus, quare me dereliquisti, Matth. 27.  
 Marc. 15. 5 Sitio, Ioh. 19.  
 6 Consummatum est, ΤΕΤΕΛΕΣΤΑΙ, Ioh. 19.  
 7 Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, Luc. 23.

Mensis  
Marcij  
Die

Et cum hæc dixisset, Mortuus & sepultus est,  
 Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19.

XXVI. Sabbatum Filij Dei in sepulchro.

XXVII. HISTORIA RESVRRECTIONIS  
 CHRISTI ex Quatuor Euangelistis coagmentata.

1. Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome,  
 & ceteræ mulieres, emerunt aromata, ut uenientes  
 ungerent Iesum, Mar. 16.

2. Prima die Sabbati, ualde mane, profundo dilu-  
 culo, Maria Magdalena & altera Maria, sole ibant,  
 ut uiderent sepulchrum, portantes Aromata, quæ  
 parauerant, Matth. 28. Luc. 24.

3. Fit tremotus, in quo Angelus descendit de  
 cælo, & deuoluit lapidem, Matth. 28.

4. Maria Magdalena uidens lapidem deuolutum,  
 statim relicta comite discedit, narratura id discipu-  
 lis, & occurrit Petro & Iohanni, Ioh. 20.

5. Interea ceteræ mulieres uenientes ad sepul-  
 chrum orto Sole, ingressæ sepulchrum, uident Ange-  
 lum seu Iuuenem amictum stola candida, qui narrat  
 Christum resurrexisse, Marc. 16. Matth. 28.

6. Intee



## RESURRECTIONIS.

6. Interea Petrus & Iohannes, una cum Maria Magdalena, currunt ad sepulchrum, orto Sole, & discedentes, credunt corpus esse sublatum, Ioh. 20.
7. Maria Magdalena ad sepulchrum manet, & uidet primùm duos Angelos, deinde ipsum Christum resuscitatum, Ioh. 20. Marc. 16.
8. Magdalene, nuncianti se Christum uidisse, Apostoli non credunt, Marc. 16.
9. Ceteræ Mulieres, quæ antea consternatæ fuerant, Marc. 16. collectis animis redeunt ad sepulchrum, & uident duos Angelos in uestibus fulgentibus, à quibus acriter obiurgantur, Luc. 24. Egressæ autem, ut nunciarent discipulis, quæ uiderant, habent obuium Christum, Matth. 28.
10. Quod cum Apostolis nunciarent Mulieres, uidebantur eis delirare, Luc. 24.
11. Petrus tamen iterum currit ad sepulchrum, et abiit apud semetipsum mirans, quod factum erat, Luc. 24.
12. Postea apparuit Christus duobus euntibus in agrum, quibus etiam non credunt Apostoli, Mar. 16.
13. Apparet Simoni Petro, Luc. 24. 1. Cor. 15. eodem die quo resurrexerat.
14. Christus ostendit se Cleophae & alteri eunti in Emaus, Quibus reuersis credunt discipuli, Luc. 24.
15. Eodem die, uesperis, ipse Iesus ostendit se omnibus Apostolis, congregatis, excepto Thoma, Luc. 24. Ioh. 20. Marc. 16.

Anno  
Christi.

33.

E

Et



SERIES HISTORIÆ

Anno Christi. Et hæc quindecim Capita, Historiam unius diei Paschæ, seu Resurrectionis Christi, continent.

33. 16. Die Octauo post Resurrectionem ostendit se Thomæ, Iohan. 20.

17. Postea ad Marc Tiberiadis, rursum ostendit se Petro, Thomæ, Nathanaeli, et filijs Zebedæi, Ioh. 21.

18. In Galilæa supra montem Thabor, ut existimatur, apparuit plusquam quingentis fratribus simul, ex his quidam adorauerunt eum, quidam autem dubitarunt, Matth. 28. 1. Corinth. 15.

19. Integros dies Quadraginta exhibuit se ipsum uiuentem, εν πολλοῖς τεκμηρίοις. Act. 1. Tunc aperuit eorum mentes, ut intelligerent scripturas, &c. Luc. 24.

20. Die Quadagesimo post resurrectionem, QVINTO DIE MAI eduxit discipulos in Bethaniam, ad montem Oliueti, & uidentibus eis ASCENDIT in Coelum, unde uenturus est iudicare uiuos & mortuos, Luc. 24. Act. 1. Marc. 16.

Maij  
Die  
XV.

Die decima post, SPIRITVS SANCTVS uisibili specie effusus est in Apostolos (Act. 2.) in festo PENTECOSTES, in quo ante annos 1542, LEX DEI in monte Sinai promulgata erat.

Petrus prima concione conuertit 3000. homines, Act. 2.

Sequentibus diebus sanat claudum, Act. 3.

Confitetur coram principibus, Act. 4. 5.

Eligunt



IN ACTIS APOSTOLORVM.

Eliguntur septem Diaconi, Act. 6.

Stephanus propter confessionem Euangelij lapidibus obruitur, Acto. 7.

Hec omnia primo anno post Ascensionem Christi, & Tiberij Cæsaris 18. facta esse, scribunt Eusebius, Ieronimus, & alij.

A CONVERSIONE PAULI.

1. PAVLVS inquisitor hereticæ prauitatis, & acerrimus persecutor Euangelij (Act. 7. 8. 9.) conuertitur, & baptizatus Damasci incoepit docere Euangelion de Iesu Christo, Act. 9. 26.

2. Inde profectus est in Arabiam, Gal. 1. Interea Philippus Diaconus docet Euangelion in Samaria, & urbibus maritimis, & conuertit Eunuchum Æthiopem, Act. 8.

3. Paulus Damascum reuersus (Gal. 1.) cum insidie ipsi à Iudæis struerentur & præfectus Aretæ Regis eum comprehensurus esset, per murum in sporta demissus est, 2. Cor. 12. Act. 9.

4. Redijt autem Ierosolymam & à Barnaba ad Petrum Apostolum adductus est, apud quem mansit dies quindecim, Gal. 1. Act. 9.

Cum autem Ierosolymis quoq; ipsi insidiarentur, admonitus in ecstasi (Act. 22.) discedit Ierosolymis & à fratribus deducitur Cæsaream, Act. 9. Inde in Syriam & Ciliciæ urbem Tarsum proficiscitur, Acto. 9. Gal. 1.

E 2

Eodem

Anno  
Christi

34.

35.

36.

37.



SERIES HISTORIÆ

Anno Christi. Eodem tempore Petrus Æneam paralyticum sanat, & Tabitam mortuam reuocat in uitam, & Cornelium Centurionem cum tota familia baptizat, Acto. 9. 10.

38. 5. Antiochiæ in Syria per Euangelion Ecclesia ex Iudæis & gentibus Christo colligitur, Act. 11.

Paulus à Barnaba Antiochiam ductus.

Hoc anno Pilatus à Iudæis apud Vitellium Syriæ præsidem accusatus tetra crudelitatis, Romam mittitur. Sed antequam eo ueniret iam Tiberius obierat Iesephus lib. 18. cap. 5.

Pilato successit MARCELLVS missus à Vitellio. Huic Caligula Imp. successorem misit Marullum.

39. 6. C. CALIGVLA Imp. Tiberio succedit. CHRISTIANI primum Antiochiæ nominari coeperunt, qui Euangelion Christi fide amplectebantur, Act. 11. anno Mundi 4000.

Eodem tempore Agabus prædicit famem secuturam sub Claudio, Act. 11.

40. 7. PETRONIVS præses Iudææ.

Herodes Antipas, qui Iohannem Baptistam interfecerat, una cum uxore Herodiade, Lugdunum in Galliam in exilium mittitur, anno 10. post necatum Iohannem.

Galilæa ad Herodis Agrippæ ditionem adiungitur.

41. 8. Paulus & Barnabas hoc anno exstimantur à Spiritu sancto emissi esse ad ministeriũ docendi Euangelij in Cypro, &c. Act. 13. Sed



PAULI APOSTOLI.

Sed ex cap. Act. 12. apparet mortem Herodis antecessisse.

10. CLAUDIUS IMP. cœpit.

Herodes Agrippa, Rex Iudææ & Samariæ à Claudio creatur, Iosephus lib. 19. cap. 4. 5.

Paulus & Barnabas docent Antiochiæ in Pisi- dia & Iconij, ubi longo tempore cōmorantur, Act. 13

11. Lystris sanat Claudum & ibidem lapidatur, Act. 14.

Redeunt Antiochiam, ubi multo tempore commorantur.

12. Herodes Rex, IACOBVM fratrem Iohannis gladio sustulit, & Petrum coniecit in Carcerem. Ac statim postea à uermibus corrosus interiit, Act. 12.

13. Iudæa rursus per Romanos præsidēs admini- strata est, quorum primus fuit Cuspius FADVS, Iosephus lib. 19. in fine.

Hoc tempore horrenda fames in toto orbe cœpit grassari, quæ aliquot annos durauit.

15. SYNODVS APOSTOLORVM, Ierosoly- mæ, anno 14. post conuersionem Pauli celebrata, cui Paulus una cum Barnaba interfuit, Act. 15. Gal. 2.

Acceptis literis à Synodo redeunt Antiochiam.

Quò cum Petrus paulo post uenisset, in faciem ei restitit Paulus, Gal. 3.

16. TIB. Alexander præses succedit Fado.

Deinde Paulus una cum Syluano perambulat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, & Lystris

Anno Christi

43.

44.

45.

46.

Fadus

48.

49.



SERIES HISTORIÆ

Anno  
Christi

50.

adiungit sibi TIMOTHEVM.

17. Paulus in Phrygia, Galatia & Mysia Euang-  
gelion docet. Inde traicit in Macdoniam, & do-  
cet PHILIPPIS, Act. 16. & Thessalonica, Act. 17.

51.

18. Agrippa Rex Chalcidis, à Claudio factus, &  
præses Templi ac Sacerdotum constituendorum.

Paulus docet Athenis, Act. 17. Inde scripsit  
duas EPISTOLAS ad THESSALONICENSES  
1. Theß. 5.

Digressus Athenis Corinthi  
docuit unuum annum & sex menses, Act. 18.

52.

19. CVMANVS Præses Iudææ succedit Tiberio.  
Paulus Corinthi commoratur.

Corintho nauigat Ephesum, Inde ueniens Cæsa-  
rean in Palæstina, ascendit Ierosolymam. & salu-  
tata Ecclesia descendit. Antiochiam Act. 18.

20. Et transiens Galatiam ac Phrygiam redit  
EPHESVM ubi duos annos commoratur, Act. 19.

54.

21. FELIX Libertus Claudij, præses Samariæ &  
Iudææ, Act. 24. habuit uxorem Drusillam, sororem  
Agrippæ Regis, uide Cornelium Tacitum, Pag. 171.

Ex Epheso scribit Paulus PRIOREM Episto-  
lam AD CORINTHIOS, 1. Cor. 16.

55.

22. Post sedatum Ephesi tumultum (Act: 20.) ue-  
nit in Troadem (2. Cor: 2.) inde in Macdoniam  
(Act: 20.) ubi ex Phileppis scribit SECVNDAM  
Epistolam AD CORINTHIOS.

Cum transiisset partes illas, uenit in Græciam  
uide



PAULI APOSTOLI.

videlicet Achaiam & Corinthum (Act: 20.) ut  
promiserat 1. Cor: 16. & 2. Cor: 1. 2.

Hoc tempore, Corinthi, scripsit EPISTOLAM  
AD ROMANOS. Cum autem insidiæ ipsi à Iudæis  
in mari struerentur, redit terrestri itinere per Ma-  
cedoniam. Vnde soluens, traicit in Troadem ad Ar-  
istarchum et Timotheum, qui præcesserant Act: 20.  
Troade nauigat Assum, Mitylenen, Samum, & inde  
Miletum, ubi ualedicit Presbyteris Ephesijs Act. 20.

Inde soluens uenit Rhodum, Pataram, Tyrum,  
Ptolemaida, Cæsaream, & tandem Ierosolyman  
ad Iacobum. Act. 21. ubi capitur Act: 21. 27.

Captiuus ducitur Cæsaream ad Felicem Præsi-  
dem Act. 23. ubi die 12. postquam Ierosolyman ue-  
nerat, crudita Apologia se defendit Act. 24.

23. Cæsareæ in carcere mansit biennium. Act. 24.

24. NERO Imp: Portius FESTVS Præses Iudææ.

Paulus agens causam suam coram Festo præsi-  
de, appellat Imp: Romanum Act: 25.

Et initio hyemis imponitur Naui, qua in insu-  
lam Melitam uehitur Act: 27.

25. Paulus ROMAM uenit Act: 28. ubi integ-  
rum biennium uixit in ædibus à se conductis, & libe-  
re ac sine ullo impedimento Euangelion de Christo  
predicauit Act. 28. Hactenus ACTA Apostolorum.

26. Ex uinculis Roma Paulus EPISTOLAS  
scripsit, quarum sex extant. AD GALATAS.

AD

Anno  
Christi.

55.

57.

58.

59.



Anno  
Chri  
sti.  
50. AD EPHESIOS. SECUNDAM AD TIMOTHEVM. AD PHILIPENSES. COLLOSSENSES. PHILEMONEM. quibus tribus unâ subscripsit Timotheus.

27. ALBINVS Præses Iudææ.

Circa finem huius anni, Paulus coram Nerone Imp: causam dixit, desertus à plerisq; amicis. Sed Deo ipsius cursum gubernante, liberatus est ex ore Leonis, ut per eum prædicatio inter omnes gentes compleretur, 2. Timoth. 4.

Sequenti Decennio Paulus ex carcere liberatus, ad Ecclesias in Syria, Asia, & Macedona rediisse (Philip. 1.) & in Italia, Hispanijs (Roma. 15.) Gallia & alijs occidentis regionibus docuisse scribitur ab Eusebio lib. 2. cap. 22. ab Epiphano, Ieronimo et alijs.

63. 30. Iacodus Minor Episcopus Ierosolymorum de suggesto deiectus lapidatur Eusebius lib. 2. cap. 23.

67. 32. Gessius FLORVS, præses Iudææ, sub quo BELLVM IVDÆICVM incepit.


69. Vespasianus Dux belli Iudaici à Nerone constituitur.

70. 37. PAVLVVS, cum secundo Romam rediisset, à Nerone Imp. capite multatus est die 29. Iunii. Quo ipso anno et die, S. Petrus quoq; cruci affixus esse scribunt.


73. 40. Vrbs Ierosolyma capta & funditus deleta est, triennio post mortem Pauli: decennio post mortem Iacobi Iusti.

FINIS.




















42 13  
12

(X 2207372)

5b,

Handwritten text in Gothic script, partially obscured by tape and damage. Visible fragments include:  
fol. 100  
Hier  
Auf die 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.





ROMI PHILIPPI VAESTI SEDMES  
EVANFICIA FINGINOTA ESTAN  
TEBOVISETVASCRIPADOCENT




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ  
IN LECTIONE M  
TEXTVS EVAN-  
GELISTARVM QVO-  
RVM SERIEM VERSA  
*pagella indicabit.*

DAVID CHYTRÆVS

PREMENTE CRV-



CE TOLLIMVR.

ROSTOCHII  
IACOBVS TRANSYLVANVS  
*Excudebat* ANNO 1564

